Sc. Sup. 22. Pl. 2

43
5 F
17

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII MARTINETTI
VALENTANENSIS
SACROSANCTÆ BASILICÆ VATICANÆ
Clerici Beneficiati

DISSERTATIO
DE PSALTERIO
ROMANO.



ROMÆ

APVD IOANNEM MARIAM SALVIONI
TYPOGRAPHVM VATICANVM.

M. DCC XLV.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

ANTONIUS MARTINETTUS
In Sacroſancta VATICANA BASILICA
Clericus Beneficiatus

SALUTEM PLURIMAM.

MAGNOS PRINCIPES, *eos potiſſimum, in quibus ſumma Imperij, & Sacerdotij jura ſociantur, magnum, atque præcipuum decet munus; nec Opus quodcumque illis nuncupandum, ſed quod pulcherrimum eſt, ac præclariſſimum. Præſtat igitur,* BEATISSIME PATER, *Libellum hunc nec mole, nec ſtylo, nec Authore commendatum, alieno potius, quam*

Auguſto Tuo nomine inſcribere; ne alioquin, aut Dignitas Tua nimium demitti, aut mea infirmitas nimium intumeſcere videatur. Me ab incœpto deſiſtere, & pedem revocare paratum, impulit, atque ut aliquid ſupra vires auderem, adegit nobilitas Argumenti. Tota Libelli tractatio circa Romanum Pſalterium occupatur: Porro ſive nomen, ſive rem quis inſpiciat, profecto magnum quid, nec quocumque Viro dignum complectitur Romanum Pſalterium. Si rem a voce divellas, multam Sacrorum rituum, ac Divini cultus partem explent Pſalmi; atque in precibus ab Eccleſia inſtitutis, quocumque Te vertas, ſive in Canonicarum Horarum ſtato ordine, ſive in Auguſto Altaris Sacrificio, ubique Davidem, aut canentem, aut dolentem audimus. Si rem voci componas, non leve Pſalterio Romano decus accedit, & ornamentum. Romanum vocatur, quòd Romæ præcipuum fuerit, atque ſolemne; potiſſimum vero in Vaticana S. Petri Baſilica, in qua, ex quo primum incœpit, perpetua temporum ſucceſſione permanſit, & perſtat adhuc perenne venerandæ antiquitatis monumentum. Qua parte igitur Pſalterium multa Sacræ Liturgiæ portio eſt, qua parte Roma-

Digitized by Google

Romanum, ita Tuum eſt, PATER SANCTISSIME, *ut eadem ſit injuria, vel illud tibi præripere, vel alteri nuncupare. Ad Summum Eccleſiæ Pontificem, quidquid ad diſciplinam, ac mores Eccleſiæ pertinet, revocandum. Cui vero iſthæc debetur cura melius, quam Tibi? Et Supremum Eccleſiæ Principem agis, & ea, quæ ad Eccleſiaſticos ritus quoquo modo referuntur, Scientia calles, Imperio ſervas, corrupta inſtauras, collabentia reſtituis. Atque ut ejus quæ in Te, tamquam in ſuo fonte quieſcit, ſolidioris eruditionis aliqui in ceteros defluant rivi, præter alias quamplurimas a Te inſtitutas, publicam de re Liturgica indictam Accademiam Tua ornas Præſentia; quæ tanto fulgore omnium perſtringit oculos, ut dubium omnino ſit, utrum qui ad illam conveniunt præſtantes Viri, majeſtate Tua potius, an Doctrina commoveantur. Uſque adeo nedum Sacrarum Divinarumque rerum notitia excellis, ſed Scientiis abundas omnibus, quarum amica ſtudia nec dirimit, nec impedit, præter inſtantia Tua quotidiana, Solicitudo omnium Eccleſiarum. Verum potiori quodam jure Tua eſt, quæ de Romano Pſalterio inſcribitur mea hæc, quam Operis titulo nobilitare*

non

non auſim, Opella. Juvat hîc meminiſſe, nec fieri poterit, ut animo excidat jucundiſſima recordatio, Te olim inter Vaticanæ Baſilicæ Canonicos fuiſſe cooptatum; ideoque Romanum Pſalterium, aſſiduo plurium annorum uſu Tibi fuiſſe familiare. Neque vero ad Summam evectus Dignitatem, aut de Tua in Baſilicam cura, aut de primæva Pſalmodiam recitandi conſuetudine quidquam remiſiſti. Quos olim ſolemniter, eoſdem privatim percurris Pſalmos, nec alia, quum Canonicarum Horarum precibus fundendis vacas, Tibi Pſalmorum Verſio, præter Romanam. Itaque injurius in Te, & in Vaticanam Baſilicam minus obſequens ille videbitur, qui hac in re alium ſibi quærat Patronum, quum nullum extra Te hocce Pſalterium, quacumque ratione Tuum, facile patiatur.

Equidem fateor, Argumenti dignitati multum ex Authoris imbecillitate decedere; duo tamen ſunt, quæ non levem fiduciam mihi conciliant; & Tua ſingularis in omnes Humanitas; & peculiaris illa amoris ſignificatio, qua Seminarium Montis Faliſci, & Seminarij ejuſdem lumen, ac columen Alexandrum Mazzinellium es proſequutus. Contigit enim & mihi

quam-

quamplures in Faliſco Collegio annos ducere; contigit præterea multa Alexandri Mazzinellij familiaritate, ac conſuetudine uti. Fas nonnunquam ex alieno bono commodum capere; quandoquidem fervidiores ſolis radij, qui in certum rectà feruntur locum, etiam in vicina corpora lucem, caloremque diffundunt. Quod ſi nihil adhuc ex alieno compendio mea juvatur cauſſa, veniam exoro. Habemus namque Pontificem, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris. Ut id ſperare mihi liceat, eæ in quibus verſor, temporis, ac loci circumſtantiæ ſuadent. Nonniſi alter excurrit annus, ex quo provida Emi Cardinalis S. Clementis Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyteri cura me Romam accivit, atque inter ejusdem Baſilicæ Clericos Beneficiatos adſcripſit. Tam brevi temporis ſpatio, in quo non multum otij ad ſtudia peragenda, aſſiduum Vaticanæ Baſilicæ ſervitium permittit, rem moliri nec obviam, nec ab aliis quos noverim, pro meritis tractatam hactenus, aliquid profecto eſt, quod ſin minus gratia, indulgentia ſaltem dignum videatur. In hanc erectus fiduciam, Libellum Typis committo, & Sanctitatis Tuæ Pedes, in genua provolutus deoſculor.

IMPRI-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Franciſcus Maria de Rubeis Archiepiſc. Tharſi Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Prædicat. Sacr. Palatii Apoſtolici Magiſt.

Digitized by Google

PRÆSTANTIUM VIRORUM APPROBATIONES.

MAndatis obtemperans Reverendiſſimi Patris Nicolai Ridolphi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri legi DISSERTATIONEM DE PSALTERIO ROMANO a Domino Antonio Martinetto &c. elucubratam , ad inveſtigandam ejuſdem Pſalterij peculiarem Tranſlationem ; quæ a primis uſque temporibus in S. Romana Eccleſia uſu recepta , nunc ſolùm obtinet apud Venerabilem Clerum Baſilicæ Vaticanæ in quotidiana Divinorum Officiorum Pſalmodia . Auctor nihil a Catholica Fide , nihil a bonis moribus abſonum ſcribit . Prodeat ergo [ut per me licet] prodeat in publicam lucem , & Vaticanis Typis quantocyus contradatur illuſtris hæc Diſſertatio , quam Martinettus mihi quondam in Seminario Montisfaliſci contubernalis ſummo ſtudio curaque compoſuit . Et mihi detur hæc venia , ut quoniam ipſe fuit nuper adlectus in Clerum , qui pia ac nobili corona cingit glorioſam B. Petri Apoſtolorum Principis Confeſſionem ; Opellam ejus affigam ſepulcro omnium miraculorum fulgore coruſcanti pro perenni gratiarum actione ; ita tamen ut per manus eorum , qui Sacroſanctæ Baſilicæ inſerviunt læta ſemper excurrat . Mobilis erit atque vocalis columna , quæ prædicet Pſalterij Romani primum Tranſlatorem . Sed una ſimul ſtet etiam mea Adprobatio , tamquam indelebilis *Profeſſio Fidei* appenſa Venerandæ Confeſſioni . Ita fiam ego quoque votiva tabella formanda pennicillo precum Principis Apoſtolorum , quæ ut aliqua referat S. Philippi Nerii Parentis imaginem Sanctitatis , viva adhærere ſemper & ſpondet & vovet Sacris Ædibus Vallicellanis .

Dabam Idibus Julii Anno Domini MDCCXLV.

Ioſeph Blanchinus Presbyter Congregationis Oratorii Romani .

MAndante Rm̃o P. F. Nicolao Ridolfi S. Palatij Apoſt. Magiſtro, multa cum animi voluptate Librum perlegi ita inſcriptum: *Antonij Martinetti &c.*; Nihilque in eo reperi vel orthodoxæ Fidei diſſonum, vel bonis moribus contrarium: Quin, tria potiſſimum animadverti, quæ lucubrationem hujuſmodi magnopere commendant; Rei nimirum, quam verſat doctiſſimus Auctor, ſumma dignitas; instituti, quod aggreſſus eſt, plurima difficultas; ſtyli demum ac methodi, quibus negotium iſtud conficit, præſtantia ſingularis. Peculiarem Davidici Pſalterij Verſionem a Vaticana S. Petri Baſilica veluti eximium venerandæ antiquitatis depoſitum hucuſque ſervatam, nobiliſſimum quidem argumentum eſſe nemo inficias iverit, qui priſcam Eccleſiæ in Sacris ritibus Diſciplinam, Sanctorumque Patrum ſcripta vel ſummis labijs delibaverit. At inſiguis monumenti vetuſtas ipſa fecit, ut multa de illo in præſentia lateant, aut omnino perierint; proinde nihil mirari ſubit, Clariſs. Ioſephum Mariam Suareſium, Vaticanæ Baſilicæ Vicarium, qui de Pſalterio Romano Corollarium concinnavit, pauca ſane ad hoc inſtitutum pertinentia collegiſſe: Defuerunt ſiquidem Præſuli ceteroquin doctiſſimo certa ac ſatis explorata documenta, ut rem, de qua egit, meliori in lumine collocaret. Maxima ergo negotij difficultas, quæ tamen nihil omnino terruit Antonium Martinetti: Ipſe etenim plurimo ingenio & doctrina pollens, græce non ignarus, ſed & hebraice ac latine peritiſſimus, arduam ſane provinciam fidenter adivit, eamdemque egregie & feliciter adminiſtravit: Elegantiſſimam ſcilicet lucubrationem, cedro plane dignam conſcripſit, in qua quidquid ad Romani Pſalterij originem, emendationem, uſum, variamque fortunam ſpectat, ſolidioris eruditionis copia, gravium argumentorum pondere, facili, perſpicua, expeditaque methodo complexus eſt. Opus itaque dignum cenſeo, quod publica luce donetur.

Dat. Rom. XII. Kal. Septembris Anno MDCCXLV.

Philippus Laur. Dioniſi Sacroſ. Vatic. Baſil. Cleric. Benefic.

DIS-

DISSERTATIO
DE PSALTERIO ROMANO.

I. *Pſalterij Romani nomen, ac notio.*

ROmanum Pſalterium, de quo acturi ſumus, eam Pſalmorum verſionem ſignificat, quam a primis Eccleſiæ ſeculis introductam, Urbs Roma peculiarem habuit, atque in ſacro Liturgiæ uſu, præcipuo quodam ritu ſequendam ſibi propoſuit. A loco igitur, atque uſu, Romanum dictum eſt; nec ulla circa nomen facta mutatio, etſi vetus Romanorum Pſalmodia, poſt Pii V. ætatem, ab Urbe receſſerit, atque a magna ſacrorum rituum parte fuerit expuncta. Superſunt quidem aliqua Pſalterii Romani veſtigia, cùm in nonnullis Eccleſiaſtici Curſus, ſive Romani Breviarij particulis, quas Antiphonas & Reſponſoria vocamus; tùm in eo, quem quotidie percurrimus, Miſſarum Ordine, jam tum a VI. Eccleſiæ ſeculo, Magni Gregorii Pontificis opera, ſin minus primùm inſtituto, nova ſaltem methodo concinnato: Verùm integra Pſalterii recitatio, quæ in Horis Canonicis ab Eccleſia præſcribitur, ſi de Romano loquamur Pſalterio, atque unam S. Petri Baſilicam excipiamus, jamdiu receſſit

ceſſit ab aula. Vetus ergo Pſalmodia, quæ olim Romæ communis fuit ac ſolemnis, hodie vero Vaticanæ Baſilicæ propria eſt ac peculiaris, a primævo ritu atque uſu [alioquin ab hodierna conſuetudine Vaticana potius dicenda eſſet] Pſalterii Romani nomine donari ſolet.

II. *Varia Romani Pſalterij monumenta, cum ſcripto tradita, tum typis impreſſa.*

Non pauca hujuſce Pſalterii ſuperſunt monumenta. Suos oſtentat Codices antiquitatis teſtes utraque Baſilica Lateranenſis, ac Liberiana; At multo plures, ne dum ſcripto traditos, ſed et typis impreſſos ſervat Vaticana. Multa etiam aliunde petita ſuppetunt exemplaria. Pſalterium Romanum, eſto minus accuratum, & in quo multa varietas, edidit Faber Stapulenſis (a): Longe probatiſſimum, atque erudita præfatione illuſtratum vulgavit V. Cardinalis Thomaſius (b): Omnium verò vetuſtiſſimum, cujus integritati multum detulit Vir Clariſſimus Lucas Holſtenius, XI. Eccleſiæ ſeculo protulit S. Bruno Caſſinenſis Monachus, mox Signienſis Epiſcopus.

III. *Diſſertationis ratio, ac diviſio.*

Hæc eſt nominis, ac rei quam pertractamus notio: Hæc vero ipſius tractationis methodus, atque œconomia. Multa quidem involvit ea, quam agimus, Pſalterii Romani cauſſa, ſive ejus primordia, ſive uſum viceſque ſpectemus. Quum primùm verſio hæc Romam ſubiit, a vetere Latino Interprete profecto defluxerat: Quum verò Romano Clero oblata eſt emendata ſub Damaſo

---

(a) *Pſalterium Romanum a Fabro Stapulenſi editum, cum vetere illa Pſalmodia, qua ante D. Hieronymi emendationem Roma utebatur, confundit Ioſephus Maria Suareſius in ſuo Corollario de Pſalterio Romano pag. 71; ſed quo jure, neſcitur.*

(b) *Pſalterium Romanum, quod V. Card. Thomaſius una cum Gallicano Pſalterio excudi juſſit ann. 1683 ipſiſſimum eſt Pſalterium a Luca Holſtenio Vaticanæ Baſilicæ Canonico caſtigatum, ac typis ſubjectum ann. 1663. Quocirca, ſi Pſalmorum titulos demas, quos Thomaſius appoſuit, habes hic purum putumque Holſtenianum Pſalterium a Thomaſio recuſum.*

maſo, aliquid Hieronymiani laboris habuit admixtum. Duplex igitur, ſi ita loqui fas ſit, Romano Pſalterio tribuendum initium; alterum a prima ejus Inſtitutione; alterum ab Emendatione. Nec levia ſunt quæ de illius vicibus, atque uſu dicenda ſuperſunt. Suas aliquando longe lateque protendit vires; contraxit aliquando. Non una ergo hiſtoriæ ſeries, nec eadem Pſalterii fortuna. Ut ambages, quæ in hiſtoria attexenda poſſent occurrere, diſſipemus, perſpicuitate, & quoad fieri poterit, chronologica temporum ſerie uti curabimus; atque ut rem univerſam ad certum revocemus ordinem, Diſputationem in tria ſcindemus Capita, quorum Primum Latinæ Verſionis originem: Alterum Pſalterii Emendationem: Tertium Pſalterij uſum, variamque fortunam demonſtret.

Quo ad Pſalterij Emendationem, duo late ſecernimus: Alterum de veritate, alterum de Emendationis diuturnitate. Pſalmodiam Romæ communem, a D. Hieronymo aliquando caſtigatam fuiſſe, conveniunt omnes, aut pauci admodum ſunt qui litem moveant: Magnum verò, de longo hujuſce Emendationis uſu in Urbis Eccleſijs, diſſidium. Nos, quæ rata ſunt, ultro amplectemur; quæ dubia, quoniam noſtrum non eſt tantas componere lites, propoſitis hinc inde utriuſque partis rationibus, alieno judicio relinquemus definienda.

Ne ſub ipſum Diſſertationis limen ulla aut de nomine, aut de ipſa re ſuboriretur dubitatio, hæc fuere prænotanda. Ordiamur a Primo.

I.

I. *Latinæ Verſionis origo a Græcis fontibus repetenda.*

AD Latinæ Sacrarum Scripturarum Verſionis originem aſſequendam, fontes ipſos a quibus ea fluxit, quamprimùm inſpiciamus oportet. Geminos Scripturarum eſſe fontes, Hebraicos nimirum, & Græcos, nemo non novit. Græcos adimus; Hebræos omittimus; quandoquidem ea, quam Vetus Interpres expreſſit, Latina Verſio, nihil cum Hebræo Codice, quo ad ſui ortum, commune habet; & tota quanta eſt a Græco textu repetenda. Latina Hieronymi Verſio, ſin minus univerſa, maxima ſaltem ex parte, ab Hebraica veritate deſcendit; at ea, de qua loquimur, Latina Interpretatio Eccleſiæ fere coæva, ſicut tempore, ita & origine ab ea diſtat, quæ Hieronymum novit Authorem. Ad Græcos igitur fontes orationem convertimus, ita tamen, ut & ſobrietati ſtudeamus, & ea, quæ a noſtro longiùs diſſident inſtituto, prætereamus.

II. *Græcos Scripturarum Codices Chriſti Domini, & Apoſtolorum ætate extitiſſe, indubia res eſt.*

Multa quidem, acri animorum contentione, de Græcæ Verſionis primordiis, Authore, de librorum numero græce reddito (c), aliiſque diſputantur, quæ nos miſſa facimus. Neque enim nobis curæ eſt, aut Ariſtæanam Hiſtoriam vindicare, aut ab ovo, ut ajunt, rem ordiri. Sat nobis illud aſſequi, quæ nam Græcæ Verſionis exemplaria obtinuerint ipſa Chriſti & Apoſtolorum ætate; & fontes non

(c) *De Græcæ Verſionis primordiis litem movit Daniel Huetius Propoſit.* 4. *cap.* 12., *quem Criticorum nonnulli ſunt ſequuti. Hic primam Bibliorum Tranſlationem ab altioribus repetit initiis, eamque ad ea tempora, quæ Alexandri Magni expeditionem in Aſiam, ſive Imperij Perſici excidium præceſſere, rejicit. Contradicit Huetio Card. Gotti, qui aliorum Criticorum, Capelli nimirum ac Vvaltoni ſuffragiis adhibitis, Verſionem Septuaginta-Viralem ne dum pretio ac dignitate, ſed & vetuſtate ceteras omnes præceſſiſſe demonſtrat in ſuo de Verit. Religionis Chriſtianæ Opere tom.* 2. *cap. IV. §.* I.

Digitized by Google

non primò erumpentes, ſed in eo rerum ſtatu, qui Eccleſiæ initiis reſpondet, contemplari. Quæ enim tunc temporis præſto habuit Græca volumina, ea ſibi propoſuit Latinus Interpres, ac latinitate donavit; nihil conſcius, ideoque nec ſolicitus de iis, quæ recentes Critici, aut in dubium revocant, aut omnino inficiantur (d). Illud etiam nobis concedi poſtulamus, extitiſſe aliquando Græcam Tranſlationem, quam Septuaginta Seniorum [reipſa LXXII.] Opus univerſa credidit antiquitas. Jure, ne an injuria, hæc ſententia invaluerit, ſub judice relinquimus. Nemo autem, quicumque tandem ille ſit, quod juſtè petimus iniquus negabit. Gemi-

(d) *De LXX. Interpretum Tranſlatione varia eſt Criticorum ſententia. Alij Opus illis omnino abjudicant; alij in re conveniunt, diſcrepant in circumſtantiis. Qui Opus denegant Senioribus, illud adſcribunt Iudæis aliquot Alexandrinis, dictumque putant τῶν LXX., non ab Authorum numero, ſed a Septuaginta Magni Synedrij Iudicibus, qui Opus probavere, ac propoſuere legendum. Qui de circumſtantiis decertant, Seniorum Verſionem ad ſolum contrahunt Pentateuchum; atque narrationem de cellulis cuique Interpretum ſingillatim aſſignatis, quarum primus meminit Iuſtinus Martyr in ſua ad Græcos cohortatione, & lib. 3. cap. 25. adverſ. Hæreſ., ad fabellas amandant. Priorem ſententiam, poſt Ludovicum Vives ad lib. 2. de Civit. Dei cap. 24., ambabus ulnis amplexi ſunt Scaliger in Chronic. Euſebij, Humbert. Hod. de Biblior. text. Origin. lib. 2. cap. 5. & ſequent., Richardus Simon Hiſtor. Crit. lib. 2. cap. 2., Henricus Valeſius in lib. 5. cap. 9. Hiſt. Eccleſiaſt. Euſebij. In poſteriorem multi Recentiorum, etiam extra Proteſtantium numerum, deſcendunt, quòd ea aſſertorem habeat D. Hieronymum, qui Præfatione in Pentateuchum, cellularum commentum expungit; & Proœm. quæſt. Heb. in Geneſ., necnon Comment. in cap. V. Ezechiel. & II. Micheæ, librorum, quos LXX. tranſtulerunt, numerum, de ſola Lege, hoc eſt de ſolo Moyſis excipit Pentateucho.*

III. *Gemina Græcæ Verſionis Editio ex Hieronymo, altera Communis; altera τῶν LXX. proponitur, & explicatur.*

Geminam Græcæ verſionis Editionem diſtinguit D. Hieronymus, (e) ſinceram unam, vitiatam alteram. Primam abſolute, ac veluti per antonomaſiam τῶν LXX. Editionem appellat; poſteriorem verò Κοινὴν ſive Communem vocat, quod frequentiori eſſet in uſu, ac omnium penè manibus tereretur. Ne quis autem putet ambas haſce Editiones ſpecie diſſimiles, re atque origine diſcriminari, monet S. Doctor utramque in idem tandem convenire; ideoque diſſonantiam a ſolis repetendam mendis, quibus caret una, abundat altera. Monet præterea, ipſam Κοινὴν ſive Vulgatam Verſionem alio nomine Lucianæam appellari, quod Lucianus Martyr corruptam Vulgatam ſuſceperit emendandam: Hinc geminum illi nomen, aliud ab uſu, aliud ab emendationis Authore. Igitur, Hieronymo judice, una eſt Græca Scripturarum Interpretatio; duæ Editiones: unus fons; duo rivuli, unus illimis, alter vitiatus: Duo ex una radice prodiere fructus, alter integer, alter corruptus. Sed præſtat ipſummet D. Hieronymum hac de re pluribus diſſerentem audire: *Illud breviter admoneo, ut ſciatis aliam eſſe Editionem, quam Origenes, & Cæſarienſis Euſebius, omneſque Græciæ tractatores* Κοινὴν, *ideſt Communem appellant atque Vulgatam, quæ a pleriſque nunc* Λουκιάνος *dicitur; aliam LXX. Interpretum, quæ in Hexaplis Codicibus reperitur, & a nobis in Latinum ſermonem fideliter verſa eſt, & Hieroſolymæ, atque in Eccleſiis Orientis decantatur ....* Κοινὴ *autem iſta, hoc eſt communis Editio, ipſa eſt quæ & LXX.; ſed hoc intereſt inter utramque, quod* Κοινὴ *pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum vetus corrupta Editio eſt; ea autem, quæ habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipſa eſt quæ in Eruditorum libris incorrupta & immaculata LXX. Interpretum tranſlatio reſervatur. Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita & ab Hebræorum authoritate diſcordet.*

Etſi

(e) *Epiſt.* 135. *ad Sunniam, & Fretel.*

IV.

Quo in ſenſu Hieronymi doctrinam excipiant Uſſerius, ac Vvaltonus.

Etſi verò luculentiſſimus ſit, ac veluti decretorius locus iſte Hieronymi, nihilominus mirum plane quotnam diſſimiles, atque ad invicem oppoſitas ſubeat interpretationes. Jacobus Uſſerius utramque Editionem, Vulgatam nimirum ac Septuaginta viralem, toto cælo diſtinguit, atque unam ab alia, re, authore, ſtylo late ſecernit. Uſſerio e diametro oppoſitus Brianus Vvaltonus, ita Editionem utramque componit, ut excepto Pſalterio, de quo loquutum credit Hieronymum, in reliquis Scripturæ libris utramque Editionem promiſcue uſurpandam tutus affirmet; ideoque nihil uni tribui, quod alteri non conveniat. Utrumque ſyſtema nonnullis diſplicet, quoniam in extrema deflectit; ſive enim una componas quæ diſtinguenda ſunt; ſive quod unum eſt, in plura ſecernas, utrobique crimen.

V.

Uſſerianum Syſtema Communem Editionem a genuina Septuaginta Interpretum re atque origine diſtinguit.

Hæc Uſſeriani Syſtematis ſumma (f). Ait quidem, LXX. Seniores Hebraicum Codicem in Græcum tranſtuliſſe ſermonem; ſed verſionem hanc ad ſolum extendit Pentateuchum. Aliam ergo, quæ univerſos Scripturarum libros exæquat, obtrudit Interpretationem. Hanc vero, quam idcirco Κοινὴν ſive Vulgatam dictam autumat, Opus credit audacioris cujuſdam Judæi ſub Ptolemæo Philometore elucubratum. Hujuſce Verſionis, quam corruptiſſimam ſtatuit, exemplar quoddam, a gravioribus expurgatum mendis, in Alexandrina Cleopatræ Bibliotheca collocat; jam enim Autographum τῶν LXX. fatali illo incendio, quo univerſa Ptolemæi Bibliotheca exarſit, putat abſumptum. Hoc Authographo deperdito, & ceteris quæ ſupererant exemplaribus paulatim evaneſcentibus, tantam ſibi conciliavit auctoritatem Κοινὴ Verſio, ut ne dum genuinus Seniorum fætus habita ſit, ſed eodem τῶν LXX. nomine fuerit nobilitata. Atque hæc quidem Verſio ipſa Chriſti Domini ætate palam obtinuit. Hanc

(f) *Uſſerius totus eſt in hoc ſyſtemate ſtatuendo cap. I. II. & III. Syntagmat. de Editione LXX. Interpret.*

VI.
Uſſerj opinio, in ſe infirma, in Patres injuria, refellitur.

Hanc tamen ſententiam, quæ neque moderationis ſervat canones, neque novitatis caret invidia, jure merito Vvaltonus exagitat [g]; eamque in antiquiores Eccleſiæ Patres atque Scriptores, quos omnes deceptos, ac in communem errorem abductos credit, vocat injuriam. Uſſerii Syſtema ſponte ſua, nulloque impellente corruit; nullo enim ſatis firmo nititur fundamento: Neque in re tanti momenti, aut levioribus conjecturis, aut ſolo ingenii acumine agendum. Præterquam quod, Uſſerium aperte refellit memoratus Hieronymus, cujus verba iterum juvat exſcribere: Κοινὴ *autem iſta, hoc eſt Communis Editio, ipſa eſt quæ & Septuaginta.* Si ipſa eſt, cur novus Author, cur alia Verſio, ne dum alicubi diſcors, ſed plane diſſimilis excogitatur?

VII.
Vvaltoni ſententia omnibus non probatur.

Sed nec ipſe Vvaltonus, qui alios carpit, aliena vacat cenſura. Non enim defuit qui a Hieronymi mente alienum putaverit, quidquid de utraque Græca Editione S. Doctor generatim affirmat, de ſolo Pſalmorum libro intelligere. Vvaltoni ſententiam ſequitur Humbertus Hodius; Hodium latè refellit P. Blanchinus Congregationis Oratorii Presbyter, Vir ſcientia atque eruditione noſtra ætate conſpicuus, qui [h] quamplurimis allatis teſtimonijs, duo hæc probat: Vulgatam τῶν O' Editionem in genere, ut *opponitur Hebræo*, apud S. Hieronymum perpetuò diſtingui; & Κοινὴν atque Vulgatam Græcam apud ipſum eamdem eſſe, ac ſolo nomine diſcriminari. Uno igitur ictu duos conficit, Hodium quem nominat, Vvaltonum quem tacet; qui tamen communem cum Hodio fovet cauſam.

VIII.
An Græcus Codex Archetypus, ejuſve

Hactenus de utraque Editione conjunctim; jam de utraque ſingillatim nonnulla. De incorrupta τῶν LXX. Editione duo, quæ præcipua ſunt, quæri ſolent, alterum de

(g) *Prolegom. IX. in Bibl. Polyglott. num.* 18. & 26.
(h) *In Epiſt. ad Franciſcum Gorium Tom. I. Vindic. pag.* 233. & *ſeqq.*

exemplaria ad Apoſtolorum ætatem pervenerint, diſputare, alienum eſt ab hac cauſſa.

de illius origine; alterum de diuturnitate. Nihil, ut præmonuimus, vexatiſſima illa de origine quæſtio nos urget: Nihil etiam, aut ferè nihil, ejus diuturnitas nos habet ſolicitos. Pervenerit nec ne ad Chriſtianæ Eccleſiæ primordia Codex Archetypus; an potius Alexandrino bello ſub Julio Cæſare, parem cum ceteris voluminibus Ptolemaicæ Bibliothecæ, quorum quadringenta millia juxta Oroſium [i], aut ſeptingenta millia juxta Gellium exarſere [k], fortunam ſubierit, noſtra non refert. Etſi namque demus ſpeciali Divinæ Providentiæ conſilio Autographum fuiſſe ereptum: Etſi concedamus nonnulla Apographa illibata ſuperfuiſſe, nihil inde, quod Latinæ Verſionis fontes nobis aperiat, colligimus. Si quod enim illius Editionis Septuagintaviralis veſtigium, exemplar, volumen reliquum fuit, rarum profecto erat, atque in privatorum ſcriniis aſſervabatur. At latina Divinorum Bibliorum Interpretatio, non ex inacceſſo Codice, ſed ex Communi, ac Vulgato, ex quo Vulgata dicta eſt, profecto manavit. Alios igitur fontes, eam ſcilicet Editionem, quam Κοινὴν hoc eſt Communem, & cuique perviam, de qua ſupra diximus, inquiramus neceſſe eſt.

IX.

Κοινὴ Verſio juxta Blanchinum primo Eccleſiæ Seculo fere integro incorrupta; mox depravata.

Sedulam in Græca Κοινὴ elucidanda navavit operam P. Blanchinus, quem ſupra nominavimus. Multa in hanc rem hac illac ſpargit in priori Vindiciarum Volumine, quæ in unum colligere, & ad certam revocare Hypotheſim juvabit plurimùm. Statuit cum primis Κοινὴν Editionem primo Eccleſiæ Seculo fere integro, hoc eſt ad Annum uſque XCIII., aut XCIV., quo tempore Antiquitatum Judaicarum Hiſtoriam Joſephus concinnavit, integram, ac a quavis labe immunem perſtitiſſe [l]. Ex hac incorrupta Editione Veterem *Italam* a D. Auguſtino adeò com-

B

(*i*) *Lib. 6. Cap. 15.*
(*k*) *Lib. 6. Cap. 17.*
(*l*) *Præfat. General. pag. 18., ac in Epiſt. ad Franciſc. Gorium pag. 226., & ſeqq.*

commendatam fluxiſſe putat; ac religioni ducit Græcos fontes limoſos credere, quum Latina Verſio, quæ inde manavit, prodierit integerrima. Fatetur tamen [m] primo Eccleſiæ Seculo deſinente, aut incoante altero, Vulgatos Græcos Codices nonnullis erroribus fuiſſe depravatos, primò quidem infida, ac ſacrilega Judæorum manu, deinde ex injuria temporum, ac oſcitantia Scriptorum. Hinc duas Κοινῆς Editionis diſtinguit ætates, primam auream labis neſciam; alteram veluti luteam, hoc eſt mendis obnoxiam; atque hanc poſteriorem ætatem Hieronymum ſpectaſſe credit, quum Κοινὴν mendis innumeris involutam deſcribit.

X. *Nonnulla teſtimonia, quibus Blanchini opinio firmatur.*

Nec deſunt erudito Viro monumenta, ac rationes, quibus ſententiam illuſtret, atque confirmet. Κοινὴν probat incorruptam teſtimonio Philonis [n], atque Joſephi [o], quorum uterque miram Græcos inter Hebræoſque Codices fatetur conſenſionem. Si conſenſio, ergo incorruptio. Addit, atque urget ſplendidum ex D. Hilario Pictavienſi Epiſcopo locum [p], quo apertè docemur, Divinarum Scripturarum libros poſt Chriſti mortem cum accuratiſſimo Græcæ Verſionis Codice collatos, mirum in modum adinvicem conveniſſe.

XI. *Adduntur rationes, & explicantur.*

Multas etiam ac graves rationes attexit. Harum potiſſima a Chriſti Domini atque Apoſtolorum exemplo, & oraculis petitur. Chriſtum, ejuſque Apoſtolos ex Græco Codice teſtimonia non ſemel produxiſſe, indubia res eſt. Aut ergo ſinceri erant Codices; aut vitiato Codice ſua Chriſtus firmavit oracula: Hoc autem credere animus refugit. Præthereà, ſi Codices univerſos error invaſerat, Chriſti Eccleſia Scripturarum integritate fuit

(m) *Locis ſup. citat.*

(n) *Lib. 2. de vit. Moſis pag.* 510.

(o) *Apud Blanchin. in Præfat. pag.* 18. *in fin.*, & 19. *in princ.*

(p) *Tract. in Pſalm.* 11. *num* 3.

fuit deſtituta: Si integritate, ergo & veritate. Quo quid turpius dictu, quid inſanius? Poſtremo, ſi Græca Biblia ſtatuimus corrupta, & Latina ſtatuamus oportet; nequit enim ex vitiata arbore integer fructus erumpere. Atque en novum abſurdum, illudque graviſſimum.

XII. *Græcam vulgatam ſua ætate corruptam aſſerit Iuſtinus Martyr.*

Secus verò de Græcorum voluminum ſinceritate ſentit altero Eccleſiæ Seculo, cum Martyre Juſtino. Exprobrat hic Triphoni [q], ac in Triphone Iudæis, Codices Græcè conſcriptos pravo animo ab iis fuiſſe adulteratos, ut Chriſtianæ Religionis myſteria aut tollerent, aut occultarent. Quo refert verba illa Pſal. XCV. *Dicite in nationibus Dominus regnavit a ligno*; e quibus poſtremas voces *a Ligno* abraſas conqueritur. Nec corruptionis tempus diſſimulat; ait enim, *ante tempus exiguum* Scripturas fuiſſe vitiatas. Recentem igitur, hoc eſt, aut ſub prioris Seculi finem, aut ſub initia ſequentis, fatetur depravationem. Ex quo licet inferre, in ipſis Eccleſiæ primordiis ſincera fuiſſe volumina, quia fraudibus nondum obnoxia. Ex integro fonte pura atque illibata prodiit Itala Verſio. Atque utinam eam, quam in ipſa origine ſortita eſt, ſervaſſet ſinceritatem! Jam enim ex incorrupta illa verſione, veluti ex lydio lapide, corruptos Græcos Codices ab accuratis ſecerneremus; nec ardua res eſſet errores univerſos deprehendere, & emendare. Sed, quod vehementer dolendum, & ipſa Latina Verſio par ſubiit corruptionis infortunium.

XIII. *P. Blanchini ſententia, diſtinctione quadam adhibita, probatur.*

Hæc, etſi noſtris reddita verbis, & nova quadam digeſta methodo, Clariſſimi Viri ſententia eſt, in quam ultro deſcendimus, quoniam & ipſe a Græca Κοινῇ omnia illa abigit vitia, quæ, aut fidei veritati, aut morum integritati opponuntur, ne Græcarum Scripturarum ſinceritatem e medio tollat. Quod ſi ille alios errores non excludat [eſto ne dum in verbis, ſed & in ſententiis aliquando verſentur] quos, ſeu Hebræorum dolus, ut multi

B 2 ren-

(q) *In Dialog. cum Triphon.*

rentur, ſeu infirmitas, aut temporum invexit calamitas, fatemur & nos, ea quæ ſupra retulimus, id evincere; imo verò ex iis quæ dicenda ſunt, eos reprehendi jure poſſe, qui ſecus opinantur.

XIV. *Vetuſtiſſimam Græci Textus corruptionem probat auctoritas.*

Omittimus hîc nonnullorum Patrum de Græci Codicis depravatione ſententiam, quæ univerſim, nullaque temporis ratione habita, mendoſa volumina nobis exhibet. Nolim tamen inauditum dimittere Origenem, qui, licet a D. Juſtini ætate non remotiſſimus, in ea, quam agreſſus eſt, Græcarum Scripturarum inſtauratione, fatetur ſe Exemplaria omnia, quotquot conſuluit, conſuluit autem penè innumera, corrupta ac depravata deprehendiſſe. Inquit enim [r]: *Exemplaria Scripturæ fuiſſe vitiata, tum propter Scribarum indiligentiam, tum propter quorundam audaciam, pravamque Scripturæ emendationem; tum etiam propter eos, qui, dum corrigerent, quædam pro arbitrio addiderunt, vel detraxerunt.* De integris Exemplaribus altum ſilentium. De pari hac in re Hieronymi ſententia, commodior infra, ubi de Bibliorum Emendatione, recurret ſermo.

XV. *Accedit ratio.*

Quibus addimus, vix, ac ne vix quidem fieri potuiſſe, ut a ſecundo Eccleſiæ Seculo ad Origenis, & Hieronymi tempora, Exemplaria omnia, nedum Græca, ſed & Latina, eſto ſumma cura ac diligentia in Eccleſiarum Sacrariis fuerint aſſervata, in ſacrilegam alicujus falſarii manum inciderint. Erant cum Latini, tum Græci Codices penè innumeri: Quænam igitur mendarum illuvies, aut integros demerſit, aut corruptos excitavit? Majus huic ratiocinio pondus accedit ex pari, & ferè gemina in iiſdem plane locis utriuſque Verſionis, Latinæ nimirum ac Græcæ, depravatione. Multos infra exſcribemus, qui ex D. Hieronymi cenſura, in utroque volumine, Græco ſcilicet, ac Latino vulgato, perinde peccant. Si dicamus a leviter vitiato fonte Latinam interpre-

[r] *Tract. VIII. in Mat. apud Montfauc. Præl. C. 4. n. I.*

terpretationem primùm fluxiſſe, obvia res eſt; nihil enim faciliùs, quam eaſdem, quibus fons inficitur, maculas in rivum deſcendere. At ſi fontem aliquando ſincerum, & eam, quæ inde educta eſt, integram ſtatuamus Interpretationem, quî fieri potuerit, ut pari paſſu labeculæ utrimque proceſſerint, & ut quæ unum inficit Græcum Codicem, eadem & Latino reſpondeat macula, profecto nec facilè animo concipitur, nec facilè verbis aperitur: Niſi fortè dicamus, eum, qui Scripturas depravandas ſibi propoſuit, Codices univerſos utroque idiomate, Latino Græcoque conſcriptos, præſto habuiſſe, atque uno vitiato, eandem in reliquos luem induxiſſe, ea lege, ut nullum exciperet. Quo quid inſulſius?

XVI. *Apoſtolorum in Hebraico Græcoque textu citando, ratio diſſimilis ex Hieronymo.*

Sed præſtat rem hanc ad Hieronymi judicium deferre; & quoniam aliena Hypotheſis ipſam Chriſti ætatem appellat, hanc ætatem adire. Fatetur Hieronymus, Apoſtolos, ac Novi Teſtamenti Canonicos Scriptores ex utroque Codice, Hebræo atque Græco teſtimonia non ſemel produxiſſe. In hoc tamen promiſcuo Scripturarum uſu obſervat, Scriptores illos, Euangeliſtas potiſſimùm, Græca Scripturarum oracula ex Veteri Teſtamento proferre, ſi ea Hebraicæ conſonent veritati; alioquin ab iis referendis perpetuò abſtinere. At in Hebraicorum voluminum ſententiis exſcribendis, nulla illis de aliena quavis Verſione ſolicitudo. Quod Judæorum exprimunt Codices, ratum illis eſt, ſanctum, atque incorruptum. Nec deſunt in Euangeliis loca quamplurima Hebraicæ lectioni conformia, quæ in Græco textu deſiderantur. Nihil tamen Euangeliſtas deterruit, quominus, quod Græci prætereunt libri, Hebræi exhibent, in textum atque Hiſtoriam, quam ſcribebant, referrent. Crebrò [ita Hieronymus Euſtochium alloquitur [ſ]] *dixiſſe me novi, Apoſtolos, & Euangeliſtas, ubicumque de Veteri Inſtrumento ponunt teſtimonia, ſi inter Hebraicum & LXX. nulla diverſitas*

[ſ] *In cap. XV. Comment. Eſaiæ.*

ſitas ſit, vel ſuis, vel LXX. Interpretum verbis uti ſolitos. Sin autem aliter in Hebræo, aliter in veteri Editione ſenſus eſt, Hebraicum magis, quam LXX. Interpretes ſequi. Denique, ut nos multa oſtendimus poſuiſſe ex Hebræo, quæ in LXX. non habentur, ſic æmuli noſtri doceant aſſumpta aliqua de LXX. teſtimonia, quæ non ſunt in Hebræorum libris, & finita controverſia eſt.

XVII. *Loca quædam V. T., quæ in Græco deerant textu, a Canonicis Scriptoribus allata, exſcribuntur.*

Eadem alibi repetit S. Doctor [t]; ita ut veluti Canonis loco haberi poſſit hæc Hieronymiana doctrina, quam, nonnullis in Euangelium e veteri Teſtamento tranſlatis oraculis, confirmat. Sunt autem hæc [u]: *Ex Ægypto vocavi Filium meum: Quoniam Nazaræus vocabitur: Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: Videbunt in quem compunxerunt*. Quæ quidem loca, etſi nocturna diurnaque manu Græcum evolvas volumen, nullibi occurrunt.

Ubi autem inter duos Codices diverſa incidit lectio, aut alteruter, aut uterque mendoſus eſt. Hebræum legitimum atque incorruptum probat Euangeliſtarum praxis, quæ ab Hebraicis Scripturis, quidquid Græcus ſermo habeat, numquam recedit; imo, quod Græcus omittit, ex illis ſupplet. Græca igitur verſio, non enim alius ad evadendum ſuppetit locus, ipſa mendis obnoxia erat, ac mutila. At undenam tanta errorum occaſio? Aut ab Interpretibus, aut ab Amanuenſium incuria repetenda. Si Amanuenſes culpemus, nemo repugnat: Si Interpretes, univerſa contradicit antiquitas.

XVIII. *Eorum ſententia, qui Apoſtolos cor-*

Nec Uſſerio [x] aſſentimur, aut Richardo Simoni [y], qui Apoſtolos, quum Populum Græcæ Verſioni aſſuetum alloquerentur, vel ipſos vitiatos textus produxiſſe, atque evulgaſſe, aſſerere non verentur. Ut ſententiam

[t] *Præfat. in Paralipom., Proæm. quæſt. Hebraicar. in Geneſ. & Præfat. in Eſd. & Nehem.*

[u] *Comment. in Cap. VI. Eſaiæ.*

[x] *Uſſer. Syntagmat. cap. III. & Chronol. Sac. cap. VI.*

[y] *Richard. Sim. Hiſt. Crit. V. T. lib. 2. cap. XXII.*

tentiam hanc primo ſaltem aſpectu duriorem emolliat Uſſerius, nihil repugnare ait, Viros fallere ac falli neſcios, ut auditorum captui ſeſe accommodent, eam, quæ apud illos communis eſt ac notiſſima, proferre lectionem, etſi reipſa accurata non ſit; quandoquidem non ex intimo animi ſenſu, ſed ex aliena conſcientia, atque opinione loquuntur. Qua ferme ratione Euangeliſtæ [y] D. Joſephum Chriſti Patrem nominant, non quòd revera ex ipſa naturæ lege Pater eſſet, ſed quòd ex vulgata ac communi credulitate Pater haberetur. Nec alienum id putat a mente Hieronymi docentis [z]: *Hoc generaliter obſervandum, quod ubicumque S. Apoſtoli, aut Apoſtolici viri loquuntur ad Populos, his plerumque teſtimoniis abutuntur* [perinde ſonat atque utuntur] *quæ jam fuerant Gentibus divulgata*. An hæc opinio intemperantior dicenda ſit, aliorum judicio relinquimus.

ruptaScripturarum loca aliquando protuliſſe ajunt, non probatur.

XIX.

Verba illa a Ligno a Iudæis abraſa non fuiſſe multa ſuadent.

Culpat quidem Juſtinus Martyr Judæos, quòd e Sacris literis voces illas *a Ligno* auſu temerario deleverint; at alii poſt Juſtinum Patres, Origenes, atque Hieronymus in quoque Scripturarum idiomate verſatiſſimi, nil tale umquam de Judæis ſuſpicati ſunt. Nulla ejuſmodi additamenti *a Ligno* in Origenis Hexaplis; nulla in Hebraico textu vola, aut veſtigium; nulla etiam in communi Eccleſiæ Pſalmodia incidit mentio. Quod ergo Juſtinus audaciæ, & ſceleri tribuit, ad variam Codicum lectionem revocant alii [aa]. Eam, quæ Crucis myſterio, ac virtuti explicandæ erat magis idonea, ſequutus eſt Vetus Latinus Interpres; quem imitatus Venantius Fortunatus, voces eaſdem *a Ligno* Davidi aſſeruit, ac jambico carmine in eum retulit Hymnum, quem, Paſſionis myſteria recolens, univerſa canit Eccleſia.

Men-

[y] *Ex D. Hieron. Comment. in Matth. cap. X. 9. & Ierem. cap. XXVIII.* 10.

[z] *Quæſt. Hebr. in Geneſ.*

[aa] *Uſſer. loc. cit. cap. III.*

XX. *Leviores mendæ nec veritati, neque Scripturarum officiunt integritati.*

Mendoſi Scripturarum Codices, modò mendas à mendis probè ſecernamus, nec Sacrorum voluminum auctoritatem minuunt, nec veritatem evertunt. Errores quidem admittimus, ſed leviores, qui nec morum honeſtati, nec ſanæ doctrinæ integritati adverſantur. Mendas non diffitemur; ſed perpetuas, dolove malo inductas, negamus. Delapſi Amanuenſes ex inſcitia, inadvertentia, aut etiam, ſi vis, ex privata opinione, ac credulitate: ex malitia atque fraude, nullus, aut ferè nullus. Erant non infrequentes maculæ Codicibus aſperſæ, adeo tamen communes non erant, ut collatis ad invicem Codicibus, vera ac genuina lectio tandem aliquando erui non poſſet [bb]. Erant ſinguli Codices vitiati, non erant univerſi; ſive, ut alij amant loqui, *phyſice* non *moraliter* corrupti erant Codices [cc]: Hinc a Divinis Scripturis nec veritas aberat, nec integritas. *Verum eſt*, inquit Pater Montfaucon [dd], *Editionem τῶν O' fidei morumque normam, in iis Exemplaribus, quæ in Eccleſia Dei admittebantur, nullam potuiſſe, in iis ſaltem, quæ ad fidem & mores pertinent, labem incurrere. In ceteris verò parem cum aliis omnibus libris fortunam ſubiiſſe, docet uſus, & experientia.*

XXI. *Veterum de Scripturarum integritate conſenſio graviores excludit maculas.*

Et de craſſioribus quidem ac minimè ferendis erroribus loquutos credimus Philonem, Joſephum, ipſumque D. Hilarium. Ubi enim levis variatio, nulla veri nominis contradictio. Quamvis Richardus Simon [ee] reponere non dubitavit, Philonem, alioſque Veteres, qui miram inter Græcos Hebraicoſque libros conſenſionem decantant, numquam inter ipſos Codices comparationem inſtituiſſe; ſed in ea fuiſſe ſententia ex præjudicata quadam opinione, quam ex Ariſtæana Hiſtoria conceperant de

[bb] *Millius Præfat. in novum Teſtam. Græc. pag.* 81.
[cc] *Serar. Proleg. Bibl. cap. XIX. quæſt.* 9. *num.* 3.
[dd] *Prælim. in Hexapl. Origen. cap. IV. num.* 1.
[ee] *Hiſt. Crit. V. T. Lib.* 2. *cap. XVII.*

Digitized by Google

de omnimoda Verſionis LXX. Viralis cum Hebraico ſermone concordia. Fervido quidem ingenio, non etiam maturo ſatis judicio digna reſponſio.

XXII. *Multiplex mendarum cauſſa; Alia ex Hominum arbitrio, & oſcitantia; alia ex incurioſa Hebraicarum Scripturarum lectione.*

Vel ipſa Chriſti ætate Græcam Κοινὴν mendoſam probavimus hactenus; jam verò corruptionis cauſas inquiramus. Hæc Origeni, ut præmonuimus, mendarum origo: Negligentia, atque audacia Scriptorum. Negligentia in Exemplaribus conficiendis: Audacia in iis caſtigandis. Imperitos Amanuenſes accuſat Auguſtinus, eos potiſſimùm, qui vel prima e Græco Archetypo exſcripſerunt Apographa [ff]. Par ſententia Hieronymi [gg]; qui ad conciliandum inter Judæorum Græcorumque volumina diſſenſum, cauſam diſcriminis in ipſos Interpretes aliquando refundit [hh]; perinde ac ſi qui Græcam Verſionem primi excuderunt ideo vim literalis ſenſus quandoque non aperuerint, ut, quæ ſub litera tegebantur myſteria, Gentibus occultarent. Errores ſemel invectos nedum propagavit, ſed novos veteribus addidit Exemplarium multitudo. Tanta enim illorum erat copia, ut, quoniam atticus ſermo ubique audiebatur [ii], vel ipſis in varias orbis terrarum plagas effuſis Judæis, ne dum explorata eſſent, ſed & familiaria. Neque domeſticus illis ac privatus duntaxat, ſed publicus atque ſolemnis Græcorum Bibliorum uſus. Hinc Helleniſtæ, hoc eſt Græcizantes Judæi, hominum genus Hebræis, qui patrio ſermoni mordicus adhærebant, inviſum. Helleniſtas Antiochenſes, qui Sabbati feſto die Græcas Scripturas in ipſa Synagoga publicè legebant, atque interpretabantur, nobis exhibet Lucas Euangeliſta in actis Apoſtolicis [kk]. Hoc idem de Helleniſtis omnibus affirmant Juſtinus Mar-

C tyr

[ff] *Lib. 15. de Civit. Dei Cap. XIII.*
[gg] *Præfat. 2. in lib. Paralip.*
[hh] *Præfat. in Pentateuch., & Præfat. in Eſaiam.*
[ii] *Cic. in Orat. pro Archia.*
[kk] *Cap. XIII. 14. 15.*

Digitized by Google

tyr [ll], ac Tertullianus [mm]. Ex quo acerrima ac perpetua Hebræorum cum Helleniſtis diſſidia; quibus ſedandis Juſtinianus Imperator pro Helleniſtis ſententiam protulit [nn]; ſtatuitque ut in Sabbatis utraque lectio componi poſſet, Hebraica atque Græca, nec ullus interim contradicere, aut moleſtias auderet inferre. Et hæc igitur non levis errorum cauſſa, ſedula nimirum ac frequens Græca Bibliorum lectio; contra verò nulla aut ferè nulla de Hebraico textu ſolicitudo; quem ſi melius noſſent, ac ſæpius conſuluiſſent, errores, qui in alienam irrepſerant linguam, nec ignoti jacuiſſent, nec inemendati.

XXIII. *Urgetur locus D. Auguſtini de vetuſtiſſima Græcorum Voluminum depravatione.* Regredimur ad locum D. Auguſtini ſupra citatum ex Cap. XIII. lib. 15. de Civitate Dei; dignus enim eſt qui exſcribatur a nobis, & illuſtretur. Agit ibi S. Doctor de non levi, quæ Codices inter Græcos ac Hebraicos, circa veterum Patriarcharum annos verſatur, diſſonantia. Magnum ſanè diſſidium, cui componendo veterum ac recentium Scriptorum ingenia deſudarunt, & adhuc deſudant; nec interim extinguitur controverſia. Facilem S. Auguſtinus init ſemitam; & mendas in Græcum textum, Amanuenſium incuria illatas fatetur. Tollantur mendæ; reſtituatur lectio; jamque convenient volumina. Mendas verò haud recèns introductas ait, ſed a vetuſtiſſima ætate; cumque eæ Codices quoſcumque Græcos infeciſſent, ab eo vult repetendas, qui omnium primus ex primigenio τῶν LXX. volumine Exemplaria tranſcripſit. *Illa diverſitas*, inquit, *numerorum aliter ſe habentium in Codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis .... nec malitiæ Iudæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ LXX. Interpretum, ſed Scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca ſupradicti Regis* (Ptolemæi) *Codicem deſcri-*

[ll] *Apolog.* II.
[mm] *Apologetic. cap.* 18.
[nn] *Novell.* 146.

deſcribendum primus accepit. Quid ad hæc qui Græcos Codices primo Eccleſiæ Seculo, aut Chriſti & Apoſtolorum ævo planè integros, & immaculatos conſtituunt? En‿ inſignem in Chronologica ſupputatione diſcordiam, non ſub Chriſti ortum, ſed longè ante Æram Chriſtianam, Amanuenſium vitio excitatam.

Ergo, dicet fortaſſe aliquis, ſi nedum ante Hieronymum, ſed ante ipſam Chriſti Domini ætatem vera ac genuina τῶν O Editio exciderat, cur toties Hieronymus illius meminit; cur accuratiſſimam dicit, atque ab alia, quæ Communis ac mendoſa erat, diſtinguit? Profecto, ut rectum de cauſſa quis ferat judicium, cauſſam norit oportet; tum maximè, cum de re ſcripto tradita cenſuram inſtituit; ne dum enim alienæ fidei niti debet, ſed proprio experimento quid ſentiendum ſit probare‿ tenetur. Aut igitur iniquus fuit Hieronymus, ſi Editionem, quam non viderat, imo nec videre umquam poterat, quia nullibi extabat, deſcribit, atque commendat; aut, ſi nil tale de tanto Doctore affirmare fas ulli, aliqua accuratiſſimæ illius Verſionis veſtigia ſuperfuiſſe fateri cogimur. XXIV. *D. Hieronymum Verſionem τῶν O incorruptam præſto non habuiſſe proponit objectio.*

Obvia tamen reſponſio. Vidit D. Hierónymus LXX. Interpretum Editionem recèns inſtauratam; Veterem vidit numquam. Vidit Editionem illam in Hexaplis Origenianis, ac ſæpius evolvit; alia, quæ Origenem præceſſerint, Exemplaria vidiſſe negamus. Improbus Origenis labor eò tandem pervenit, ut ſin minus eamdem omnino, ſaltem quamſimillimam primævæ Interpretum Editioni Verſionem reſtituerit. Hæc Hieronymo frequens fuit, ac familiaris; atque ex hac una, quam in Hexaplis ſe legiſſe, atque in Latinum ſermonem tranſtuliſſe fatetur [oo], anſam arripit, ut geminam ſecernat Editionem, integram ſcilicet a corrupta. Erat nimirum utraque hæc Editio illi obvia, una ex Origene, alia ex communi XXV. *Objectio diluitur.*

[oo] *Epiſt.* 135. *ad Sun. & Fretel.*

muni uſu: Hinc utramque diſtinguere, ac de utraque ſententiam ferre, proprio edoctus experimento, facile potuit. Atque hinc fortaſſe, ſi Richardo Simonio aſſentiamur [pp], duo illa nomina Κοινῆς, & τῶν Ο, ad novum quid ſignificandum tranſlata ſunt. Quum enim ante Origenem Editionem quamcumque, ſive integram, ſive corruptam promiſcuè exprimerent, poſt Origenis Hexapla, peculiaris cuique nomini indita ſignificatio; ac Verſio τῶν LXX. ad ſolam incorruptam Editionem; Κοινὴ verò ad eam, quæ depravata erat, dumtaxat deſignandam fuit uſurpata.

XXVI. *Latina Verſio ex Communi Græca leviter vitiata defluxit.*

Atque ex hac quidem Interpretatione non integerrima, fluxit Latina verſio, in quam idcirco quæ in Fonte latebant minutiores maculæ, vel ab ipſa origine, ac veluti per traducem pervenere. Codices accuratiſſimi, quos Latinus Interpres conſuleret, aut nullibi erant, aut non ad manum: &, ſi præſto fuiſſent, ignoti erant, atque extra commercium uſumque familiarem. Oportebat autem eam, quæ circumferebatur, Editionem latinè reddere; ne alioquin nova ac inuſitata lectione recentes Chriſtiani deterrerentur; aut aliquam inde criminationis occaſionem captarent Judæi. Non contemnenda idcirco conjectura, quæ aſſerit eos fortaſſe Græcos Codices, quos Judæorum aliqui ad fidem converſi in Eccleſiam detulerant, in Latinum ſermonem fuiſſe tranſlatos [qq].

XXVII. *Veteris Latinæ Verſionis ætas Eccleſiæ coæva; nondum tamen certò definita.*

Hujuſce Latinæ Verſionis neque definita ætas, nec certus Author ſtatuitur. Non defuere qui Latinorum Bibliorum originem ab ipſis Apoſtolis, aut a Viris repetant Apoſtolicis. Hoc Opus primo Eccleſiæ Seculo prodiiſſe ajunt multi: omnes autem in eo conveniunt, ut vetuſtiſſimum credant, atque ipſis Eccleſiæ primordiis ferè coævum. Nec aliud profectò ſuadet ſumma Divinarum Scripturarum utilitas ad fidem propagandam, moreſque rite

---

[pp] *Hiſt. Crit. V. T. lib. 2. cap. X.*

[qq] *Ita conjicit Uſſerius Syntagmat. cap. III.*

rite inſtituendos. Qui Verſionem primus adornavit, in gratiam eorum, qui Hebraicas Græcaſque literas ignorabant, operi manum creditur admoviſſe; quamvis Interpres ille purioris Latinitatis Canones aut ignoravit, aut ſi novit, ſervare neglexit [rr]. Hinc ſtylus incultus, de quo, ubi de Itala verſione, pluribus infra.

XXVIII. *Latinarum Verſionum multitudo ex Auguſtino & Hieronymo.*

Primigeniam hanc Interpretationem aliæ quamplurimæ ſunt ſequutæ. *Ut enim*, verba ſunt D. Auguſtini, *primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulùm facultatis ſibi utriuſque linguæ* (Græcæ nimirum ac Latinæ) *habere videbatur, auſus eſt interpretari* [ſſ]. Cumque Romanus atticuſque ſermo ubique inſonaret, hinc verſionum copia, ac multitudo. Multitudinem ſequuta eſt confuſio, confuſionem corruptio; accedente potiſſimùm licentia Interpretum, qui non pravo quidem animo, ſed improvido conſilio, atque ut eam, qua præditi erant, ingenij vim in bonum commune conferrent, novas inſtituere verſiones ſunt aggreſſi. Hos carpit Hieronymus, ac dolet [tt] *apud Latinos tot fuiſſe exemplaria quot Codices, quòd unuſquiſque pro ſuo arbitrio addiderit, vel ſubtraxerit quod ei viſum eſt*. Uſque adeo, vel in honeſtis laboribus ſobrietas ac moderatio ſervanda, ne, dum ingenio plus æquo indulgemus, opus, alioqui laudandum, in vitia deflectat.

XXIX. *Novatorum in Eccleſiæ Sanctiones iniqua expoſtulatio.*

Ex hac Verſionum copia, quæ prima Eccleſiæ ætate circumferebatur, nihil obvenit commodi, quod Novatorum cauſæ præſidio ſit. Queruntur illi [uu], atque in

[rr] *Calmet. Differt. in Text. & Verſ. Pſalm. Tom. I.*

[ſſ] *Lib. 2. de doct. Chiſtian. Cap. III.*

[tt] *Præfatione in Ioſuam.*

[uu] *Huc pertinent Propoſitiones numero ſeptem, quas Clemens XI. Conſtitutione* Unigenitus *in Queſnellio damnavit. Prima occurrit ordine LXXX.; reliquæ ad LXXXVI. uſque perveniunt. Atque eò omnes collineant, ut Laicis, Mulieribus, ac ſimplici Populo neceſſariam aſtruant Scripturarum lectionem.*

in Eccleſiam inſurgunt, quòd vernaculam Scripturarum Verſionem, uſumque cuique communem interdixerit; ſed queruntur immeritò. Nulla enim, quæ promiſcuæ lectionis neceſſitatem imponat, urget lex; nulla ſuadet ratio. Utilitatem, quæ ex uſu Scripturarum trahitur, ingeminant; ſed tacent abuſum. Utilitati proſpexit Eccleſia, quum Sapientes ac Doctores, qui ſacra doceant ac explicent oracula, provido conſilio deſignavit. Hoſce audiant populi, mulieres, indocti; jamque, inoffenſo pede, uberrimum e Divinis Scripturis percipient fructum. Labia Sacerdotis cuſtodiant Scientiam; & populi requirent Legem de ore ejus (uu).

XXX. *Multa ac gravia, ex vernacula Scripturarum lectione, abſurda, & incommoda.*

Quiſquis tandem fuerit Veteris Eccleſiæ ritus, oportuit hac in parte, hominum moribus immutatis, novam præſcribere diſciplinam. Multa, integra valetudine licent, quæ infirma vetantur. Utut promiſcua lectio quondam obtinuerit, ſucceſſu temporis eam noxiam, ac periculi plenam monſtravit eventus. Quis verò, qui leviſſimarum muliercularum ingenium, & rudiorum hominum audaciam habeat perſpectam, graviſſima, quæ e vernacula lectione ſequuntur incommoda, non fateatur? Quod ſi ignoret, aut ſciens fateri nolit, audiat Hieronymum ne dum loquentem, ſed inclamantem (xx): *Si ſola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant... hanc garrula Anus, hanc delirus Senex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. Alii, adducto ſupercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de Sacris literis philoſophantur. Alii diſcunt (proh pudor) a Feminis quod Viros doceant.* Hæc D. Hieronymus, cujus verba recentium Hæreticorum moribus tam benè conveniunt, ut veluti Vatem egiſſe, ac ſequuturis temporibus præluſiſſe videatur.

XXXI. *Italæ Verſionis præſtan-*

Ex multis, ut unde diſceſſerat revertatur oratio, quæ

(uu) *Malach.* II. 7.

(xx) *Epiſt. ad Paulin. de Stud. Scripturar.*

quæ circumferebantur Divinarum Scripturarum Latinis Verſionibus, una erat ceteris præſtantior, quæ & Græcæ loquutionis vim accuratiùs exprimeret, & Latini Sermonis perſpicuitatem ſervaret. Hanc D. Auguſtinus *Italam* nominat, ac præ ceteris ita commendat [yy]: *In ipſis autem Interpretationibus Itala ceteris præferatur; nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ.* Aliis etiam nominibus Verſio hæc donatur a Patribus; eamque D. Hieronymus *Vulgatam* [zz], S. Gregorius *Veterem* appellat [aaa]. Vulgatam dixit Hieronymus ratione originis, quòd e Vulgata, ſive Κοινῇ Verſione fuerit expreſſa: Gregorius *Veterem* vocat, ut ab alia *Vulgata*, quam Hieronymus edidit, quæ *recens* idcirco dicta eſt, diſtingueretur. *Italam* Auguſtinus nuncupavit, ſive quòd in Italia, atque Urbe Roma potiſſimùm obtinuerit; ſive etiam quòd ſub auſpiciis Romanæ Eccleſiæ fuerit elucubrata.

tia; ejuſque nomina apud Patres.

XXXII. *Jo: Millij de Itala Verſionis ætate ſententia.*

De ejus Authore atque ætate incerta omnia. Antiquiſſimam nemo inficiatur; at certum definire tempus nulli hactenus datum eſt. Joannes Millius [bbb] Italæ Originem ad ſecundum Eccleſiæ Seculum refert; nec Pij Papæ I. ætate credit antiquiorem. Erat nimirum Pius natione Italus, ac Latinorum Pontificum primus: Hinc veriſimile putat eum de Latina Verſione, quæ Italiæ peculiaris eſſet, fuiſſe ſolicitum. Cur autem huic Verſioni majorem deneget antiquitatem, illud Millio argumento eſt, quòd nec primo Eccleſiæ Seculo, nec ſub initia ſequentis, Novi Teſtamenti Libri omnes in unum colligi, ac in Canonem potuerint referri. Multarum curarum, annorumque circiter quinquaginta opus credit Novi Fœderis Scripta conquirere, conquiſita probare. Nec ullum

[yy] *Lib. 2. de Doct. Chriſt. Cap. XV.*
[zz] *In Cap. IV. & XLIX. Eſaiæ.*
[aaa] *Epiſt. ad Leandr.*
[bbb] *Præfat. in Novum Teſtam. Græc. pag. 41.*

lum interim, tanto temporis ſpatio, Religioni acceſſit detrimentum ex Latinæ Interpretationis defectu; quandoquidem multo eſſe uſui potuerunt Græci Codices, quum ea ætate Attici Sermonis notitia, ſin minus accuratiſſima, aliquali ſaltem ac mediocri pleræque Nationes, præcipuè verò Itala, eſſent inſtructæ.

XXXIII. *Millij Syſtema Italæ Originem non exhibet univerſam.*

Ut ut hæc ſententia, quæ ſuis tamen non caret incommodis, alicui probetur, ea tamen non eſt, quæ Italæ Verſionis originem univerſim exhibeat, quum ſolam Novi Teſtamenti Tranſlationem attingat. Quæ enim circa colligendos libros verſatur difficultas, nedum Vetus Teſtamentum non petit, quin potius evincit oppoſitum. Italam ſerò prodiiſſe Millius ait, quòd primo Seculo conſcripti fuerint Novi Fœderis libri, & nonniſi altero Seculo ferè dimidio fuerint ab Eccleſia probati. Igitur, quum ipſomet Apoſtolorum ævo Veteres Scripturarum Codices præſto fuerint, poterat ſine mora maxima Bibliorum pars latinè reddi. Neque par eſt, ut àdeo deſidem ac incurioſam Romanam Eccleſiam fingamus in Latina Verſione ſibi comparanda; quum, D. Auguſtino teſte, *primis Eccleſiæ temporibus* Latinorum Codicum tanta vis fuerit, ut Eccleſias, quæ in Occidente conſtitutæ erant, impleverit univerſas. Abſurdum autem eſt, quod ceteris regionibus facilè conceditur, ſoli Italiæ, in qua Religionis ac fidei Sedes præcipua, denegare.

XXXIV. *Italæ Vetuſtati non officit Latinus ſermo, etſi non accuratiſſimus.*

Neque Italæ Verſionis antiquitati quidquam detrahit Latinus ille Sermo quo primùm conſcripta eſt. Fatemur, jamque prænotavimus, primo Seculo, hoc eſt argentea Latini eloquii ætate nondum exacta, Italam Verſionem fuiſſe elucubratam; nec diſſimulamus, in iis quæ ſuperſunt ejuſmodi Verſionis monumentis, nonnulla occurrere, quæ barbarum atque incultum ſermonem aliquando redolent. Non ideo tamen aut culpandus Interpres, perinde ac ſi Latinum ſermonem omnino ignoraverit; aut Interpretatio ad poſteriora corruptæ Latinitatis tempora revocanda. Duo in Latino Interprete ſpe-

Digitized by Google

ſpectanda ſunt; & ſermo ille, ex quo Tranſlationem inſtituit; & res ſive materies, quam ſuſcipit interpretandam. Erant Sacri Codices e Græco idiomate Latinitate donandi; erat, ut cuique notum, Opus dignitate ſua maximum, ſumma fide ac diligentia tractandum. Porro nil faciliùs, quàm ex aliena lingua, cui phraſes, ac idiotiſmi peculiares inſunt, ne dum ſententias, ſed & verbis verba reddere, & interim in barbariem aliquam impingere. Multa Attico ſermoni ſuavia, quæ Romano hiſpida ſunt; multa Latinis elegantiora, quæ Græcis aſpera. Illud curæ fuit integerrimo Interpreti, ut ab ipſo literali ſenſu ne lato quidem ungue diſcederet; quidquid deinde dicturi eſſent Rhetores, aut Grammatici. Quo pertinet illud Caſſiodori [ccc]: *Expedit interdum prætermittere humanarum formulas dictionum, & Divini magis eloquij cuſtodire menſuram.* Si ad hæc animum convertiſſent rigidiores Critici, atque inter Humanas Divinaſque literas aliquid diſcriminis ſtatuiſſent, profecto nec in Vulgatæ Latinæ, quæ aliquot Veteris Italæ fragmenta ſervat, ſtylum inſurgerent; nec eò uſque proceſſiſſet audacia, ut Antibarbarum Biblicum [ddd], opus vel ex ipſo nomine dicaciſſimum, elucubraret. Imo nec ipſimet cenſuræ Authores Scripturarum ſententias ad politioris, veriùs dixerim affectatæ Latinitatis limam, & Canones aliquando revocarent.

XXXV. *Cur Italæ Verſionis lectio diſſimilis.*

Varia tamen Italæ Verſionis fuiſſe Exemplaria, ſatis docent ea quæ reliqua ſunt ejuſdem Verſionis monumenta. Nullum ferè eſt e vetuſtis Pſalterijs quod Italam repræſentare creditur, in quo diſcrimina aliquot, ac lectio diſſimilis non occurrat. S. Hilarij Pſalterium, ſive potius pauci illi quos S. Pater exhibet, atque explicat, Pſalmi, cum Auguſtiniano ubique non conveniunt. Eadem diſcrepantia, aut ferè gemina, in ipſiſmet

D Pſal-

[ccc] De Inſtitut. Divin. literar. Cap. XV.
[ddd] Edidit Sixtinus Amama An. 1656.

Pſalteriis, quorum uſus in Italia adhuc perſtat, deprehenditur. Romanum noſtrum cum Ambroſiano; Utrumque cum eo, quod Venetiis in Eccleſia S. Marci decantatur, aliquoties diſſentit. Neque in unum conveniunt ſemper tria hæc Pſalteria, ſi cum Veronenſi, quod P. Blanchinus variis illuſtratum animadverſionibus edidit, componantur. Maxima quidem non ſunt diſcrimina: Sunt tamen, nec infrequentia. Quare & hic aliquid Amanuenſium infirmitati, atque inadvertentiæ; aliquid etiam peculiari Eccleſiarum ritui, ac locorum conſuetudini; aliquid prætereà aliarum Verſionum commixtioni, de qua infra, concedamus neceſſe eſt.

XXXVI. *Nobilij Opus circa Italam, ut ut laborioſiſſimum, non tamen accuratiſſimum.*

Ex quo patet laudandos quidem conatus Flaminij Nobilij [eee], qui Veterem Italam reſtituere ſibi propoſuit; Eos tamen non eſſe, quibus omnino acquieſcant Eruditi. Nec ubique eadem erat Verſio illa; neque ex Patrum commentariis ac monumentis, quæ Nobilius conſuluit, conſtans, ac perpetua lectio depromitur. Imo nec ipſimet Patres, in Latinæ Verſionis ſententiis citandis, eadem ſemper verba, ne vocula quidem immutata, producunt. Eamdem ſententiam modo hac, modo illa loquendi ratione exprimunt; non enim, quum ſcriberent, defixis ac immotis ſemper oculis in Sacras paginas incubuere; ſed nonnulla etiam, memoria ſuggerente, adnotarunt, ſervato quidem ſenſu, at vocum rigore poſthabito. *Quamobrem*, ita concludit Richardus Simon [fff], *Flaminij Nobilij verſio, ut ut accuratiſſima ſit, non planè Veterem illam Vulgatam Occidentalis Eccleſiæ Verſionem repræſentat.*

XXXVII. *Petrus Sabatier nuperus atque egregius Italæ Verſionis Editor.*

Veterem Sacrarum Scripturarum Verſionem, ſive priſcam D. Auguſtini Italam, quæ D. Hieronymi Emendationem, atque ætatem præceſſit, duplici comprehenſam Tomo, ac Typis procuſam nitidiſſimis, edidit duobus

[eee] *Prodiit Nobilii Opus ſub Sixto V. An.* 1588.
[fff]. *Hiſt. Crit. rect. Teſt. lib.* 2. *cap.* X I.

bus ab hinc annis Petrus Sabatier Benedictinus e Congregatione S. Mauri. Egregium ſane Opus, quodque improbo viginti annorum labore peractum eſt. Nedum Clariſſimus Editor Codices ſelegit vetuſtiſſimos, quos exſcriberet; verùm eos cum Antiquiorum Patrum dictis, ſententiis, interpretationibus tanta contulit diligentia, ut nec voces, nec penè dixerim apices omiſerit ullos, quos aut non expenderit, aut ad lectiones illuſtrandas non uſurpaverit. Præfationem Operi præmittit, methodo, ſermonis elegantia, ac facilitate, nec non rerum notitia, in negocio profecto non multùm obvio, commendatiſſimam. Tantum Opus inviſere, evolvere, ac contemplari mihi datum eſt inſigni Humanitate, ac Beneficentia Em̃i D. Cardinalis Philippi de Montibus, qui, eo quo in literas fertur ſingulari ſtudio, ipſe literarum inſtructiſſimus, celeberrimos quoſque Codices ſumma cura conquiſitos in ſuam transferre nititur Bibliothecam. Hæc veritatis amore, ac ingenua accepti a me beneficij ſignificatione dicta velim; quod quidem beneficium eò majus eſt, quò rariora Operis Exemplaria, vix enim duo vel tria numerantur, Romam hactenus pervenere.

XXXVIII. *Exemplarium diſſimilitudo a ſolis mendis, præviſque Emendationibus repeti non poteſt.*

Illud vero Editori propoſitum [ggg], Veterem Interpretationem per totum ferè Occidentem effuſam, unam eamdemque ſtatuere; licet variis commixtam lectionibus, ob Scribarum incuriam, aut eorum, qui, quæ putabant corrupta, emendare ſunt aggreſſi, licentiam. Monet idcirco, D. Auguſtini locum de multiplici in ipſis Eccleſiæ incunabulis Scripturarum latina Tranſlatione, ultra quàm par eſt, urgendum non eſſe. Mallemus & nos, ſi tamen liceret, huic ſententiæ aſſentiri; ſed timidos nos detinet ac dubios, frequens nimiùm, quæ inter Exemplaria intercurrit, ne dum varietas, ſed apertiſſima diſſimilitudo. Aliquid mendis; arbitrio aliquid; aliquid etiam conſuetudini dandum non diffitemur; ſed interim,

[ggg] *Præfat. part. I. §. 11.*

ut rivos omnes ex uno fonte proceſſiſſe arbitremur, induci non poſſumus. Fuere olim Græcæ Verſionis Apographa varia ac difformia: Eſto. Multas Latinæ Interpretationis Editiones Sixti V. ætate obtinuiſſe, ultro damus. At quid inde? Novimus Græcæ Verſionis unum fuiſſe Autographon; novimus inter Latinas Editiones ea non intercurriſſe diſcrimina, quæ inter Italæ Verſionis Exemplaria intercedunt.

XXXIX. *Quid hac in re liceat conjicere.* Si quid igitur in re tenebris involuta licet ſuſpicari, non abhorremus ab eorum conjectura, qui in Occidentalis Eccleſiæ Latinis Scripturis aliquid Veteris Italæ, aliquid etiam extraneæ Tranſlationis internoſcunt. Ita nempe factum conjicit Millius [hhh]. Quum ceteris Tranſlationibus Itala præferretur, ſolaque jam valeret apud Eccleſias pleraſque Occidentis, ex ceteris Verſionibus particulæ quædam, quæ magis arridebant, excerptæ, in marginem fuere tranſlatæ; atque inde in corpus libri a Scribis inſertæ, in unum tandem Volumen coaluere. Hinc diſſidia, ac diſſonantiæ pro locorum indole ac moribus, adeo frequentes, ut jam de genuina Italæ verſione ad primævum nitorem reſtituenda juremerito deſperandum ſit. Neque ipſemet Italæ nuperus Editor [iii], in tanta Codicum varietate, meliora ſibi pollicetur. Itaque nec ſolus error, nec ſola Emendatorum licentia tanta invexit diſcrimina. Aliquid ex iis Tranſlationibus, quarum Auguſtinus meminit, acceſſiſſe conjicimus; ex quo major ac potior in Exemplaribus Italæ diſſimilitudo. In hac Hypotheſi, ea Tranſlatio Italam veriùs propiùſque repræſentat, quæ alienis aſſumentis omnino caret, aut ſaltem, ſi quæ habet, laciniæ quædam ſunt breviores, ac infrequentes. Hæc conjectando dicimus, non ſolius Millij, quem ingenio nimiùm indulgentem novimus, judicio innixi; ſed SS. Patrum Auguſtini, ac Hieronymi, qui Codi-

---

[hhh] *Loc ſup. cit. pag.* 80.
[iii] *Præfation. part.* 1. *§. III. num. XIX.*

Codicum Latinorum primis Eccleſiæ temporibus multam variamque Tranſlationem nobis teſtatam faciunt, authoritate ſuffulti. Horum teſtimonia nec urgere nimium, nec ita debilitare licet, ut planè deficiant. Obvium ſequamur ſenſum: Obvius autem, ac literalis is eſt, ut, ſemota hyperbolica loquutione, multos Interpretes, multaſque prima Eccleſiæ Chriſtianæ ætate ſtatuamus Interpretationes. Atque ita ſententiam doctiſſimi Italæ Editioris [kkk] ducimus temperandam.

An verò Romanum Pſalterium ex Itala verſione fuerit expreſſum; an Romæ, potiſſimùm in Vaticana S. Petri Baſilica, integrum intactumque perſtiterit, an potiùs D. Hieronymi cura & labore emendatum, res eſt in altero Diſſertationis Capite fuſiori ſtylo tractanda, poſtquam de varia Sacrorum librorum caſtigatione, nonnulla, quæ majorem dicendis lucem afferant, præmiſerimus.

II.

GRæcis Scripturis poſt Chriſtum natum ſive corrigendis, ſive etiam nova Interpretatione illuſtrandis, inſudarunt multi. Emendationem ſuaſit neceſſitas; jam enim corrupta erant Volumina; quodque corruptum eſt, indiget Emendatione. Interpretationem invexit eruditio; Qui enim utramque callebant linguam, Hebràicam & Græcam, ut magnum quid molirentur, atque ingenij ſui vires exererent, Verſionibus inſtituendis incubuere. De Correctione Græcorum Voluminum nonnulla prænotabimus, ut faciliorem ad Latinæ Verſionis Emendationem, quæ nobis curæ eſt, ſternamus viam. Interim de Interpretationibus Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, quarum frequentiſſima apud Origenem, & Hieronymum mentio, aliquid ſummis ſaltem labijs deguſtare, non erit abs re. Fuit

I. De varia Græci Codicis Verſione, & Emendatione, proluſio.

[kkk] *Prodijt Editio Remis An. 1743. ex Officina Reginaldi Florentain Regij Typographi.*

II. *Verſionis Aquilæ Origo, & cenſura.*

Fuit Aquila origine Ponticus, primò Ethnicus, mox Chriſtianus. Verùm ab Eccleſia ejectus, quòd Aſtrologiæ Judiciariæ totus vacaret, Chriſtianiſmo ejurato, ad Judæos tandem defecit, atque inter Proſelytos relatus eſt. Hunc aliquando carpit, probat aliquando Hieronymus. Carpit ſuperſtitioſam nimiùm in vocibus explicandis, atque enucleandis curam [a]; Probat non mediocrem in literali ſenſu aperiendo diligentiam; ideoque bonum, ac ſtudioſum Interpretem alicubi appellat [b]. Reprehenditur etiam a D. Irenæo, quòd Veteris Teſtamenti locum, qui Chriſtum prænunciabat, adulteraverit [c]. Fatetur tamen Hieronymus, Aquilam ubique infidum ac ſacrilegum non fuiſſe, quum ex illius Verſione nonnulla in Chriſtianæ Religionis commodum derivaverint [d].

III. *Theodotionis Verſionem aliquando ſequuti Origenes & Hieronymus.*

Theodotio, ratione temporis Symmacho prior, etſi ratione ordinis in Hexaplis Origenianis poſterior, ſuam ſub Commodo perfecit Interpretationem. Marcionem Hæreticum primò ſequutus, mox ad Judæos ſe recepit. Eo quo in Chriſtianam Fidem ardebat odio, ſplendida quædam de Chriſto oracula in pravos detorſit ſenſus; quamvis in reliquo Operis contextu ad LXX. Seniorum Interpretationem propiùs acceſſerit. Hinc eum non ſemel ſequuti Origenes, atque Hieronymus [e]. Imo verò ubi Septuagintaviralis Verſio in Scripturis aliquando deſideratur, quod deficit, ex Theodotione additur; ut recentis Vulgatæ libros, præcipuè Danielis Prophetiam legenti, patet ad oculum.

IV. *Quid de Symmachi Interpretatione ſentiendum.*

Symmachus e Samaritano Judæus, inde Chriſtianus, iterumque Judæus, ac putidus Ebionita, geminam Verſionem adornaſſe creditur ſub Severo. Et hic infenſo nedum

[a] *Epiſt. 33 aliàs 100 ad Pammach.*
[b] *Epiſt. ad Damaſum.*
[c] *Lib. III. Contr. Hæreſ. Cap. XXIV.*
[d] *Epiſt. ad Marcellam.*
[e] *Præfat. in Iob, & Præfat. in Euang. ad Damaſ.*

nedum in Chriſtianos, ſed & in Samaritanos animo, multa ſub ſpecioſo Verſionis velamine intermiſcuit falſa & abſurda. Elegantiori, ac liberiori uſus eſt ſtylo, ingenio nimiùm indulgens. Laudatur tamen aliquando ab ipſomet D. Hieronymo (f); nemo enim uſque adeo improbus eſt, ut boni aliquid ſuis non inſerat lucubrationibus. Horum Interpretum Opera jamdiu interciderunt, multa ſanè, quo ad deperdita Vetuſtatis monumenta, nulla verò aut ferè nulla quo ad impiam, quam Opera illa continebant doctrinam, jactura.

V. *Origenis in Græci Codicis Emendatione methodus, atque œconomia.*

Ex ijs, qui Græcis Codicibus ex profeſſo emendandis operam contulerunt, primus occurrit Origenes. Erant ejus ætate Scripturarum Codices uſque adeo diſſimiles, ut arduum omnino eſſet genuinam lectionem aſſequi, aut eam, quæ ſine erroris metu probanda eſſet, certò ſtatuere. Hanc in Exemplaria quæcumque corruptelam invexerat, ipſo Origene teſte, nedum Scribarum indiligentia, atque audacia, ſed etiam prava quædam Scripturarum Emendatio; hoc eſt intemperans quoddam arbitrium addendi, aut minuendi quodcumque arridebat potiùs quàm expediebat. Vt mendas igitur Origenes e medio tolleret, variaſque Codicum lectiones ad unam revocaret, quamplura e Græcis Voluminibus, ipſam quoque Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis Verſionem diurna nocturnaque verſavit manu, nec ab Hebraicis Scripturis abſtinuit, quas cum Græcis ſedulò contulit. Incorruptæ autem τῶν LXX. Editionis numquam meminit, quia nullam quam ſibi proponeret, ad manum habuit, aut habere umquam potuit.

VI. *Expenditur locus Origenis.*

Audiendus iterum Origenes, de ſui Operis oeconomia ac methodo ſermonem habens (g): *In Exemplaribus*, inquit, *Veteris Teſtamenti, quæcumque fuerunt inconſonantia*, *Deo*

[f] *Comment. in Amoſ. III. 2. Conſentit Euſeb. Hieron. Comment. in Pſalm. XXI. 31.*
[g] *Tract. VIII. in Matth.*

Digitized by Google

Deo præſtante, coaptare potuimus, utentes judicio ceterarum Editionum. Ea enim quæ videbantur dubia eſſe, propter conſonantiam Exemplarium facientes judicium ex Editionibus reliquis, convenientia ſervavimus. Nulla hìc incorruptæ Verſionis Septuagintaviralis mentio, cuius meminiſſe oportebat, ſi in quam fortè incidiſſet. Non meminit; non numerat inter reliquas; ergo non vidit.

VII. *Origenina in Hexaplis coordinandis diſpoſitio.*

Atque ut quam decreverat Emendationem firmiorem redderet, atque accuratiorem, Hexapla inſtituit, ſive Codicem compilavit, cujus unaquæque pagina ſex Columnis juxta poſitis eſſet inſtructa, quarum prima Textum Hebraicum Hebraicis characteribus; ſecunda Textum eumdem Græcis deſcriptum literis; tertia Aquilæ; quarta Symmachi; quinta LXX. Interpretum, hoc eſt Græcam Veterem, corruptam tamen; ſexta Theodotionis Verſiones uno veluti obtutu aſpiciendas exhiberet [h]. Ne autem LXX. Interpretum Verſio antiquis erroribus ultra depravaretur, quæ ab illa reſecanda erant, veru quodam, ſive Obelo; quæ verò addenda, quia in Vulgatis Verſionibus deſiderabantur, Aſteriſco appoſito deſignavit. Erat idcirco Græca Verſio ab Origene in Columnas diſtributa, erat inquam mendoſa ſimul, & incorrupta. Mendoſa erat prout jacebat exſcripta, ſi nulla, quæ Origenes appoſuerat, Emendationis indicia conferrentur. Collatis verò cum depravato illo Textu Obelis & Aſteriſcis, atque iis quæ aut addenda, aut detrahenda erant, inſertis, aut expunctis, non ſecus ac electum frumentum, noxio ac infelici ſemine ſegregato, colligitur, ita genuina Interpretatio, ſemotis erroribus, dignoſcebatur.

VIII. *Origenis opus alicubi mendoſum carpit Hieronymus.*

Opus igitur labore ac pretio numquam ſatis commendatum tandem perfecit; atque primævam τῶν LXX. Verſionem reſtituere viſus eſt. Quia vero aliquando bonus

[h] *Hanc Hexaplorum coordinationem probat ex Cod. M. S. Barberino P. Montfaucon Præliminar. Cap. I. num. V.*

nus dormitat Homerus, atque Opere in longo fas eſt ſomnum obrepere, nil mirum, ſi innumeris variiſque Codicibus circumfuſus Origenes, aliquam minus fortaſſe probandam Interpretationem ſit ſequutus [i]. Quod in cauſſa fuit, ut D. Hieronymus varium de Origeniana caſtigatione judicium tulerit [k]; atque ut illam aliquando incorruptam, & immaculatam, aliquando vitiatam dixerit, ideoque vitandam. Tantum Opus propter Exemplarium infrequentiam facilè intercidit univerſum; Autographum verò, quod in Cæſarienſi Bibliotheca Pamphili Martyris aſſervabatur, periit Urbe a Perſis capta ſub Choſroe, aut non diu poſt in Arabum poteſtatem delapſa [l]. Quæ igitur ex Origenianis Hexaplis protulit, ac gemino comprehendit Tomo Pater Montfaucon, qui & notas & Præliminaria addidit eruditiſſima, laciniæ quædam ſunt, & meſſis uberrimæ ſpicæ aliquot, paucis colligatæ manipulis.

IX. *Emendatio Lucianæa.*

Alteram poſt Origenem Grecæ Verſionis Emendationem aggreſſus eſt tertio Eccleſiæ Seculo Lucianus, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter, atque inclytus Chriſti Martyr ſub Maximino. Non ea tamen Luciani mens fuit, ut Origenis Operibus, quæ accuratiſſima probè noverat, quidquam adderet; ſed ut Κοινὴν Editionem ad Origenis Exemplaria non ſatis caſtigatam, aut novis corruptam erroribus, expurgaret. In Opere concinnando Hebraicos fontes conſuluit; Obelos & Aſteriſcos adhibuit; atque Verſionem elucubravit, quæ, quum antea ex uſu promiſcuo Vulgata diceretur, in poſterum ab Emendationis Authore etiam Lucianæa fuit appellata. Hanc Emendationem probavere non pauci, eamque Orientalis Eccleſia a Conſtantinopoli ad Antiochiam uſque ſibi adoptavit (m). Quia verò in Euangelicis Scripturis interpretan-

[i] *Millius l. cit. pag. 65.*
[k] *Epiſt. 75. inter Auguſtinian. & Præf. in lib. Paralip.*
[l] *Montfaucon Præliminar. Cap. XI. num. 40.*
[m] *D. Hieron. Præfat. in lib. Paralipom.*

pretandis nimiam ſibi licentiam Lucianus arrogavit, hinc a Gelaſio in Romana LXX. Epiſcoporum Synodo Lucianæum Euangelium tamquam Apocryphum proſcriptum eſt (n).

X.

Heſychij Emendatio.

Eamdem, quam Lucianus, navavit operam Heſychius jam Monachus, dein Epiſcopus, poſtremò Martyr. Et nova hæc Emendatio ſuos habuit aſſeclas, atque in Ægypti, ac vicinarum Regionum Eccleſiis ſacra, & ſolemnis eſt habita (o). Verùm nec Luciani, neque Heſychij correctio placuit Hieronymo, cujus idcirco hæc de utraque emendatione (p) cenſura: *Prætermitto eos Codices, quos a Luciano, & Heſychio nuncupatos, paucorum hominum aſſerit perverſa contentio: Quibus utique nec in toto Veteri Inſtrumento, poſt LXX. Interpretes, emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendaſſe; quum multarum Gentium linguis Scriptura ante tranſlata, doceat falſa eſſe quæ addita ſunt.*

XI.

D. Hieronymus ad limam Hexaplorum Κοινὴν Græcam exigit.

Nec ipſemet D. Hieronymus a Græcis Codicibus caſtigandis abſtinuit. Vigebant quidem illius ætate Origenis Hexapla; at ea quæ pervagata erant Communis Editionis Exemplaria, receſſerant ab Hexaplari. Novum Opus moliri arduum omnino erat, nec planè neceſſarium: Origenianum exſcribere, ſine multo labore ac impendio, nulli conceſſum. Quænam igitur Hieronymo ſervanda methodus? Ipſemet aperit in locis quamplurimis (q); at præcipuè ſua in Joſuam præfatione: *Et ut in primis, inquit, quod ſæpe teſtatus ſum, ſciat me non in reprehenſionem Veterum nova cudere, ſicut amici mei criminantur, ſed pro virili portione offerre linguæ meæ hominibus, quos tamen noſtra delectant: ut pro Græcorum Hexaplis, quæ ſumptu, & la-*

[n] *Uſſer. Syntagmat. Cap. VII.*

[o] *D. Hier. Præfat. in lib. Paralipom.*

[p] *D. Hier. Præfat. in Euang. ad Damaſ.*

[q] *Lib. 2. & 3. Apol. adverſ. Rufin., cap. 3. Epiſt. ad Tit., & Epiſt. 28. ad Lucinium Bœticum.*

& labore maximo indigent, Editionem noſtram habeant; & ſicubi in antiquiorum Voluminum lectione dubitarint, hæc illis conferentes, inveniant quod requirunt: Maximè cum apud illos tot ſint Exemplaria, quot Codices. Quibus verbis multa docemur: Et primò, ſuperfuiſſe quidem Hieronymi tempore Origenis Hexapla; ſed eorum lectionem, propter Exemplarium inopiam, cuique obviam eſſe non poſſe; nec niſi maximis ſumptibus atque laboribus, tot tantaque erant Volumina, exſcribi potuiſſe. Deinde, Hieronymum in Latinæ Eccleſiæ utilitatem, Emendationem quæ Origenianæ reſponderet, inſtituiſſe; ut ij, quibus Hexapla adeundi copia non erat, haberent Origenem Hieronymi ore loquentem. Fatemur ferè nulla hujuſce Emendationis extare veſtigia [r]; ſed hoc temporum injuriæ tribuendum, quæ multa ac præclara tanti Viri monumenta feræ poſteritati ſurripuit.

XII. *De Latinis Scripturis emendandis deliberat.*

Major tamen ac potior Hieronymi cura in Latinis Codicibus emendandis. Duo ad id impellebant: rei neceſſitas; atque amicorum hortamenta. *Plurimùm profeceris*, ita Hieronymum Auguſtinus alloquitur [ſ], *ſi eam Græcam Scripturam, quam LXX. operati ſunt, Latinæ Veritati reddideris, quæ in diverſis Codicibus ita varia eſt, ut tolerari vix poſſit; & ita ſuſpecta, ut in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquod proferri, aut probari dubitetur*. Magna ergo neceſſitas, ſed multa etiam Operis difficultas. Erant enim frequentes mendæ; erant communes, nec ijs omnino vacabat Itala Verſio, quam præ çeteris Auguſtinus commendabat; cujus idcirco caſtigationem in votis habuiſſe credere par eſt. Contra torrentem niti, & novam lectionem obtrudere ſine magno populorum ſcandalo & offenſione, ardua res erat.

XIII. *Qua methodo, ac olertia E-*

Annuit tamen Hieronymus, atque ea qua præditus erat ſapientia, ut mendis ex una parte occurreret, ex alia

[r] *Superſunt nonnulla in Iobi ac Pſalmorum libro.*
[ſ] *Epiſt. olim. X. nunc* LXXI.

Digitized by Google

mendationem fuerit aggreſſus.

alia novitatis invidiam declinaret, ea œconomia, ac methodo ſuam temperavit Emendationem, ut graviores, & quæ ſententiam inverterent, mendas excluderet; quæ verò leviores eſſent, relinqueret immutatas. De quo non ſemel proteſtatur, atque illud ſemel & iterum repetit [t]: *Se nova quidem procudere, ita tamen ut vetera nequaquam deſtrueret; atque ita calamo temperare, ut his tantum, quæ ſenſum immutare videbantur, correctis, reliqua manere pateretur ut fuerant*. Hac animi, ac ſtyli moderatione, quatuor Euangelia cum primis, hortante Damaſo; deinde Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica Canticorum, Jobum, Paralipomena, ipſumque Pſalterium ad Græci ſermonis integritatem, aut nova edita Tranſlatione, aut Veteri emendata, revocavit [u].

XIV.

Novam ex Hebraico Codice Verſionem meditatur.

Præclarum igitur ac laborioſum Opus perfeciſſe videbatur; at ipſemet operis Author multa habuit, quæ in re ſua non probaret. Inſtituta Emendatio nec planè integra erat, nec numeris omnibus abſoluta: Non integra, quandoquidem nonniſi paucos Veteris Inſtrumenti libros complectebatur: Non accuratiſſima; ſiquidem Græci fontes, ad quos illam exegerat, ab Hebraicis, qui Hieronymo erant integerrimi, alicubi diſcrepabant. Aliud idcirco moliri Opus hactenus intentatum, ac longè difficillimum, ſibi propoſuit, novam videlicet Scripturarum Interpretationem, quæ Hebraicam veritatem adamuſſim repræſentaret. Et hîc verò præcipua quadam ſobrietate ac prudentia uſus eſt; jam enim benè noverat, quanta in Eccleſiis excitetur commotio, ubi novum quid, in iis maximè quæ ad Scripturarum integritatem pertinent, privata cujuſdam authoritate introducitur.

XV.

Opus perficit, in quo aliquid Veteris Italæ ſervat.

In re ancipiti, ac periculis circumfuſa, ita ſe geſſit Hieronymus, ut Hebraico Textui multùm detulerit, nec interim Veterem lectionem omnino abjecerit. Hebraicum

[t] *Lib. 2. adverſ. Rufin. & Præf. in Euang. ad Damaſ.*
[u] *Blanchin. Vindic. Tom. I. de Verſ. Hieron. & LXX.*

cum ſenſum latinè reddidit; at nonnulla etiam ex Itala Verſione intermiſcuit, quæ nimirum uſque adeo familiaria erant, atque communia, ut nonniſi per vim ab Eccleſiarum manibus eripi poſſe viderentur. Ex quo factum, ut in nova hac Verſione quædam non raro occurrant, quæ Hebraicis literis non bene componantur; quædam etiam legantur, quæ, ipſo Hieronymo Judice, puram putamque Κοινὴν Editionem repræſentant. Quotquot igitur libros in Canonem Eccleſia retulerat, in Latinum tranſtulit ſermonem; alios quidem juxta Hebraicam veritatem; alios verò, quoniam Hebraicus deerat Textus, juxta Græcos Codices accuratiſſimos; quos inter numerantur Libri Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, Baruchi Prophetia, Epiſtola Jeremiæ; Additio ad calcem libri Eſtheris, duo poſtrema Danielis capita, atque Canticum trium puerorum Danielis III.

XVI. *D. Hieronymus recentis Vulgatæ Librorum Interpres.*

Ex hac Hieronymiana Verſione ad Hebræum Græcumque Volumen, nec non ad Vulgatam Veterem alicubi revocata, univerſum recentis Vulgatæ, qua hodie Eccleſia utitur, quamque Tridentina Synodus authenticam declaravit [x], corpus coaleſcit. Nec aliud ſanè innuunt Clementis VIII. verba in Præfatione, quæ Biblijs præfigi ſolet: *Qui ea* (Vulgata nimirum Editione) *libri continentur, ut a majoribus noſtris quaſi per manus traditum eſt, partim ex S. Hieronymi Tranſlatione, vel Emendatione ſuſcepti ſunt; partim retenti ex antiquiſſima quadam Editione Latina, quam S. Hieronymus Communem & Vulgatam, S. Auguſtinus Italam, S. Gregorius Veterem Tranſlationem appellat*. Nil mirum igitur, ſi hæc recens Vulgata, quæ ut plurimùm Hebraicis conſonat Scripturis, ad Græcas accedat aliquando: quandoquidem, eſto Interpres Hebraicum ſermonem in Latinum transferre ſibi propoſuerit, noluit tamen aut Græca Volumina, aut Latinam Veterem omnino negligere.

At

[x] *Seſſion. IV. cap. 2.*

XVII. *Potior cura Hieronymi de emendando Pſalterio.*

At longè major ac potior fuit in emendando Pſalterio D. Hieronymi ſolicitudo. Ita namque rei neceſſitas, & Argumenti dignitas poſtulabant. Nil frequentiùs, nil etiam familiariùs in Eccleſia, quam perpetua Pſalmorum recitatio. Hæc in Miſſæ Sacrificio: Hæc in Divinis Officiis celebrandis: Hæc in precibus ad Deum fundendis ſolemnis erat. Quare fidelium plerique Pſalmos noverant, & Pſalmodiam didicerant, quam ex uſu aſſiduo didiciſſe oportebat. Hoc igitur cum primis decebat, ut ſublatis ambagibus, & ea, quæ inter canendum audiebatur, Verſionum diſcrepantia, quibus unus erat Spiritus, unus eſſet & Sermo.

XVIII. *Pſalterium ex Hebræo Latinè reddit.*

D. Hieronymum pluries aut vertendo, aut caſtigando Pſalterio elaboraſſe, conveniunt omnes: Sola de curarum numero agitatur controverſia. In re ancipiti hoc ratum definitumque cum primis eſt, S. Doctorem integram Pſalmorum Verſionem ex Hebraico Textu derivaſſe; jam enim hac de re apertiſſimè loquitur (y). *Pſalterium*, inquit, *quod certè emendatiſſimum juxta LXX. Interpretes dudum Roma ſuſcepit, rurſus juxta Hebraicum vertens, meæ linguæ hominibus dedi.* En Verſionem ex integro concinnatam, Emendationi quam pridem ediderat, longè diſſimilem. Illa enim Emendatio fuit, quam revocavit ad Græcum Codicem τῶν LXX.; Hæc verò nova fuit Interpretatio, quam ex Hebraicis Scripturis expreſſit. Hujuſce poſtremæ Verſionis nullus in Sacris Eccleſiæ ritibus fuit uſus; quocirca non in libris, qui de re agunt Liturgica occurrit, ſed inter Hieronymiana Opera excuſa proſtat Tom. I. Editionis Maurinæ.

XIX. *Bis, juxta Origenis Hexapla, Pſalterium corrigit.*

Aliarum circa Pſalterium curarum meminit S. Doctor in ea ad Paulam & Euſtochium Præfatione, quæ Bibliis præmittitur. Longior quidem eſt locus; exſcribendus tamen, quoniam ex eo multa, alioquin obſcura, quæque negocium faceſſunt, elucidantur: *Pſalterium Romæ poſitus*

(y) *Lib. 2. Apolog. adverſ. Rufin.*

poſitus dudum emendaram, & juxta LXX. Interpretes, licet curſim, magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rurſum videtis, o Paula, & Euſtochium, Scriptorum vitio depravatum, pluſque antiquum errorem, quàm novam Emendationem valere, me cogitis, ut veluti quodam novali, ſciſſum jam arvum exerceam, & obliquis ſulcis renaſcentes ſpicas eradicem: Æquum eſſe dicentes, ut quod crebrò malè pullulat, crebriùs ſuccidatur. Unde conſueta Præfatione commoneo tam vos, quibus fortè labor iſte deſudat, quam eos, qui Exemplaria iſtiuſmodi habere voluerint, ut quæ diligenter emendavi, cum cura, & diligentia tranſcribantur. Notet ſibi unuſquiſque vel jacentem lineam, vel radiantia ſigna, ideſt Obelos, vel Aſteriſcos. Et ubicumque viderit virgulam præcedentem, ab ea uſque ad duo puncta quæ impreſſimus, ſciat in Septuaginta Tranſlatoribus plus haberi. Ubi autem perſpexerit Stellæ ſimilitudinem, de Hebræis Voluminibus additum noverit æquè uſque ad duo puncta, juxta Theodotionis dumtaxat Editionem, qui ſimplicitate ſermonis a Septuaginta Interpretibus non diſcordat.

XX. *UtraquePſalterijEmendatio diſtinguitur, ac elucidatur.*

En igitur geminam Pſalterij non Verſionem, ſed Emendationem, tempore, loco, methodo, ac perfectione diſtinctam. Unam Romæ factam fatetur Author; alteram in ſpecu Bethlehemitico adornatam conveniunt Scriptores. Illam hortante, imo jubente Damaſo editam putavit Baronius, & cum Baronio bene multi (z): Hanc Paula & Euſtochio inſtantibus elucubratam affirmat Hieronymus. Quæ Romæ prodiit, *curſim*, hoc eſt veluti tumultuario opere ab Authoris ingenio excidit; nec integrum Pſalterium, ſed majorem duntaxat partem recenſuit: Contra verò quæ Bethlehemi perfecta, abſolutiſſima fuit, atque accuratiſſima, Obelis & Aſteriſcis inſtructa, ut appoſito veluti lumine, quæ deerant inſerrentur, aut ſtricto enſe, quæ abundabant confoderentur;

[z] *Baronij ſententiam, & Scriptorum qui Baronium ſequuntur numerum exſcribemus infra.*

tur, & tamquam inutilia reſecarentur. Nec aliam quam Bethlehemiticam hanc caſtigationem intelligit S. Pater, cum Pſalterium *Emendatiſſimum Romæ* receptum affirmat.

XXI. *Utraque Pſalterij Emendatio ad Originis hexapla revocatur.*

Etſi verò utriuſque Emendationis nec una ratio, nec eadem fuerit perfectio, unus tamen, ad quem Hieronymus utramque revocavit, fuit Græcus Codex τῶν LXX. hoc eſt lectio Hexaplaris accuratiſſima. Perinde namque ſonat in ore Hieronymi Editio τῶν LXX., atque Origeniana Hexaplorum lectio, ſaltem ubi de Pſalterio loquitur, (ne ipſo quidem Vvaltono contradicente.) *Sciatis* (Hieronymi verba repetimus) .... *aliam* [eſſe Editionem] *Septuaginta Interpretum, quæ in Hexaplis Codicibus reperitur, & a nobis in Latinum Sermonem fideliter verſa eſt*. Quo quid clarius; niſi ſponte cæcutias? Addit verò S. Pater, hanc Editionem ſumma cura a ſe in Latinum fuiſſe converſam, non ut novam Interpretationem ſignificaret, ſed ut Emendationem exprimeret accuratiſſimam, qua Pſalterium iterato ſtudio recenſuit. Nec a D. Hieronymi ſtylo alienum eſt, ut Verſio, & Emendatio perinde accipiantur.

XXII. *Curarum Hieronymus circa Pſalterium numerus.*

Ergo, ſi labores univerſos, ſeu veriùs laborum, quos in Pſalterium Hieronymus contulit, numerum unà colligamus, triplicem illum fuiſſe non inficiabimur. Bis enim Pſalterio inſtaurando inſudavit, Romæ cum primis, dein Bethlehemi: Semel Pſalterio ex Hebraicis fontibus emendando incubuit. Plures addere curas, productior; minuere brevior menſura eſt. Quæ Romæ inſtituta fuit Emendatio, ad annum Chriſti CCCLXXXIII.; quæ vero Bethlehemi ad annum circiter CCCLXXXIX. revocatur [aa]. Nulla Verſionis ex Hebraicis fontibus certa ætas ſtatuitur; Hoc tamen ex Hieronymi doctrina manifeſtum eſt, Verſionem Latinam ex Hebraica veritate, habita temporum ratione, poſtremam prodiiſſe; non enim Hebraicis Scripturis interpretandis manum ille admovit, niſi poſtquam a Græcis Codicibus ſeſe expediverat. Sunt

[aa] *P. Martianæus Tom. I. Oper. S. Hier. Proleg.* 2.

XXIII. *Eorum, qui quadruplices in Pſalterium curas enumerant, Hypotheſis.*

Sunt tamen quibus triplex curarum numerus brevior eſt; ideoque protrahendum arbitrantur. Hi verò rem ita partiuntur univerſam: Damus, inquiunt, Latinum Pſalterium ex Hebraico tranſlatum: Damus geminam Emendationem juxta Editionem τῶν LXX., de qua S. Doctor in Præfatione ad Paulam, & Euſtochium. En Hieronymum circa Pſalterium ter occupatum. Verum hîc Hieronymi ſtudia non deſinunt. Alia ſuperaddenda Pſalterii Latina Verſio ad LXX. Seniorum Editionis Canones revocanda, cujus ille meminit, adhibito Verſionis vocabulo, in Epiſtola ad Sunniam & Fretelam mox relata. Ut genuinum curarum numerum aſſequaris, Græca Editio opportunè ſecernenda. Sub eodem τῶν LXX. vocabulo, quum de Græco Textu agitur, gemina exprimi poteſt Editio, Origeniana ſcilicet, ac Lucianæa. Illa mendas noverat nullas, aut ferè nullas: Hæc multis coinquinabatur erroribus. Utramque Editionem conſuluit S. Doctor, quum Pſalterio incumberet; ſed ratione ac methodo diſpari, juxta diſſimilem laboris menſuram. In Pſalmis emendandis Lucianæam τῶν LXX. Editionem ſibi propoſuit: At in nova Pſalterij Verſione excudenda, ſolam Origenianam ſequutus eſt. Curas in unum colligas omnes, invenies quadruplices: Bis enim Pſalterium recenſuit; bis etiam novam perfecit Verſionem, alteram Hebraico, alteram Græco Hexaplari Textui optimè reſpondentem. Quamvis hæc poſtrema Latina Verſio jam tum a Hieronymi ætate intercidit, nebulonis cujuſdam fraude fortaſſe ſubtracta. Quo in ſenſu Jacobus Uſſerius [bb] ea S. Doctoris verba explicat: *Pleraque prioris laboris fraude cujuſdam amiſimus* [cc].

XXIV. *Impugnatur.*

Atque ita quidem ratiocinantur, ac ſentiunt, nedum Veterum, ſed & Recentiorum plerique; quorum Syſte-

F

[*bb*] *Syntagmat. Cap. IV.*

[*cc*] *Epiſt.* 94. *ad Auguſtin.*; *inter Auguſtinianas* 172.

Syſtema in Vvaltono, ac Natali Alexandro jure merito erroris inſimulat Vir egregius P. Blanchinus [dd]. Nec fieri poteſt ut ſecus opinetur, qui animo ad veritatem compoſito rem hanc pro meritis expendat. Cur enim diſtinctio illa inter Lucianæam atque Hexaplarem Editionem hîc obtruditur? Utramque Editionem extitiſſe concedimus; at nullum ejuſmodi diſtinctio in hac, de qua loquimur cauſſa, habet locum. Quis enim Interpretem non reprehenderet, qui, quum optima exemplaria, fonteſque incorruptos præſto habeat, vitiatos adeat, atque in illis acquieſcat? Nonne ipſemet D. Hieronymus Communem Editionem, ab alia τῶν LXX., ſive Hexaplari latè ſecernit? Nonne Communem ac Lucianæam perinde uſurpari palam teſtatus eſt? Quum igitur, de ſuis in Pſalterium curis loquens, LXX. Viralis Editionis perpetuò meminerit, ineptum eſt aliam ſibi fingere, præter Hexaplarem. Atque hanc quidem intelligit, ſive ille craſſiori ſtylo primam Romæ perfecerit Emendationem, de qua ad Paulam & Euſtochium primo loco; ſive accuratiori aliam Bethlehemi inſtituerit, de qua nedum ad Paulam & Euſtochium, ſed & ad Sophronium, imo & ad Sunniam Fretelamque ſcribens, loquitur S. Doctor.

XXV. *Reſpondetur oppoſitis.* Verſionis nomen, ut paucis objecta diluamus, quo Hieronymus utitur, ſolam exprimit Emendationem ſecundis curis abſolutiſſimam: Tot enim, tantaqua aut addidit, aut expunxit, ut Verſionem quodammodo integram elucubraſſe viſus ſit. Ceterum nulla veri nominis Latina Pſalmorum Verſio produci poteſt, quam numquam Hieronymus adornavit. Si Verſionem hanc numquam excudit, profecto aut intercidere, aut furto ſurripi numquam potuit: Quod enim ortum neſcit, neſcit interitum. Aliò igitur ſpectat, aliaque longe majora innuit Opera Hieronymi expoſtulatio de Operibus, quæ primis ſtudiis laboribuſque perfecerat, iniqua furis manu ſubtractis.

Una

[dd] *Vindiciar. Tom. I. pag. 232.*

Una quæſtione diſcuſſa, alia non deficit. Illud enim in dubium revocatur, quodnam Hieronymianæ Emendationis fuerit objectum; ſive, quodnam Pſalterium Hieronymi cenſuram repræſentet. Geminum poſt Hieronymi ætatem obtinuiſſe Pſalterium, aliud Romanum in Urbe præcipuum, aliud Commune, quo pleræque Eccleſiæ utebantur, res eſt, quam nulla impetit controverſia. An verò utrumque, an alterutrum Pſalterium fuerit caſtigatum, lis eſt, & lis adhuc ſub Judice. Alij ſolum Romanum; ſolum Commune alii volunt emendatum. Utraque opinio iiſdem ferè momentis, a Verſionis antiquitate, ac populorum ſcandalo & offenſione petitis, innititur. Qui pro Romano decertant, abſurdum putant Verſionem Romæ ſolemnem vicibus obnoxiam ſtatuere; ſi enim ullius Eccleſiæ, profectò Romanæ ſacrum Antiquitatis depoſitum ſartum tectumque ſervare, præcipua dos fuit. Addunt præterea, nulla Hieronymianæ Emendationis veſtigia, in ea, quæ hodie in uſu eſt, Romana Pſalmodia, a quoquam vel oculatiſſimo deprehendi poſſe. Qui Commune Pſalterium tuentur, Populorum mores, atque Eccleſiarum conſenſionem objiciunt. Quis enim vel audaciſſimus, Verſionem quæ omnium ore decantabatur, invertere, aut vel paululùm immutare potuiſſet? Nonne, D. Auguſtino teſte [ee], vel una mendoſæ vocis variatio, quæ in libro Jonæ [ff] pro Hedera, vel Cucurbita, aliud ſuppoſuerat vocabulum Hieronymianæ Emendationi conforme, tantos in Eccleſia excitavit tumultus, ut Epiſcopus, ne rebellem haberet populum, Veterem, etſi minus caſtigatam lectionem reſtituere fuerit adactus? Quid ergo, ſi Pſalterium ceteris Scripturæ libris longè notiſſimum, non una aut altera voce immutata, ſed nova facie, novoque ſermone inſtructum, univerſo fidelium cœtui fuiſſet oblatum? In hac opinionum diſcordia, ſi quæ-

XXVI. *Varia de Pſalterio Hieronymi cura Emendato, ſententia.*

[ee] *Epiſt. olim 10. nunc 71. ad Hieron.*
[ff] *Ion. Cap. IV. & VI.*

quæras quodnam Pſalterium perſtiterit inemendatum, ſolum Romanum, inquiunt prioris ſententiæ Patroni [gg]: Solum Commune, ij reponunt, qui in poſteriorem ſententiam concedunt [hh].

XXVII. *Noſtra Sententia proponitur; ac tria prænotantur.* Nos contra, quum & Pſalterium duplex, Romanum ſcilicet ac Commune, quod in recenti Vulgata legimus, & a Pij V. ætate univerſæ Eccleſiæ ſibi adoptarunt; & geminam Hieronymi Emendationem habeamus, Pſalterium utrunque cenſorio Hieronymi ſtylo ſubjectum fuiſſe contendimus. Nonnulla tamen, quæ animi noſtri ſententiam aperiunt, hic ducimus prænotanda. Primum eſt, quæſtionem de Emendatione Romani Pſalterij, ab alia de Emendationis diuturnitate eſſe ſejungendam. Fieri namque potuit, atque ita revera factum multi arbitrantur, ut ſemel inſtituta Emendatio, atque in Urbis Eccleſias introducta, paulatim evanuerit. Quum igitur de Emendatione diſſerimus, inſtitutionem attingimus: Qum de Emendationis duratione agimus, uſum ſpectamus. Alterum eſt, Communis Pſalterij Emendationem multis probare, noſtra non intereſſe; quandoquidem ſoli Romano Pſalterio excutiendo noſtra ſiſtit oratio. Nihilominus, tamquam aliud agendo, nonnulla ex Hieronymo infra exſcribemus, quæ Communis Pſalmodiæ caſtigationem ſatis ſuperque demonſtrent. Tertium denique eſt, nec rei novitatem, nec Pſalmodiæ vetuſtatem impedimento eſſe, quominus Romanum Pſalterium alicubi dicamus emendatum. Non obſtat rei novitas; non enim ab incerto, vel obſcuri nominis Emendatore, ſed a probatiſſimo Eccleſiæ Patre, cui ferè univerſam Sacro-

[gg] *Bingham. Origin. ſeu Ant. Eccleſ. lib.* 14. *cap.* 3. *§.* 17. *Card. Bon. Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4.

[hh] *P. Pythæus de Divinorum Bibliorum Interpretat. p.* 6.; *P. Lamy. apparat. Biblic. lib.* 2. *Cap. VI.*

Digitized by Google

crorum Bibliorum Interpretationem acceptam ferimus, prodiit correctio. Non remotiſſima Pſalterij vetuſtas; haud enim de Codicis antiquitate decedit quidquam, ſi eæ, quas temporum injuria contraxit, mendæ expurgentur; ſicut de Nummi antiquitate nihil detrahitur, ſi quam obduxit rubiginem, perita Artificis manus abraſerit.

Ne autem, dum Romani Pſalterij Emendationem aſſerimus, de illius Vetuſtate minus ſoliciti videamur, antequam emendatum ſtatuamus, probabimus antiquiſſimum. Nec ſola Vetuſtatis ſummæ laus eſt, quam illi tribuimus: Illam addimus Nobilitatis prærogativam, quam D. Auguſtinus *Italæ* Verſioni conciliavit; Italæ namque Verſionis portio quædam eſt Romanum Pſalterium. Ut id oſtendamus, Italæ notas, proprioſque characteres inſpiciamus oportet; quas ſi cum noſtra Pſalmodia concordes inveniemus, expedita res erit. XXVIII. *Romanum Pſalterium Italæ Verſionis portio eſt.*

De Italæ characteribus multis agit Vir doctus, & Eruditus Petrus Sabatier [ii], ex quo hæc depromimus, brevi tamen contractoque ſtylo digeſta. Ea Vetuſtiſſimæ Verſionis potior prærogativa eſt, ut Græcum Textum referat, ex quo ortum duxit. Non enim alios fontes aut novit, aut curavit Vetus Interpres, præter Græcos. Hebræi vel erant inacceſſi, vel nulli erant uſui. Hinc alius Italæ character, nimirum ut Latina Verſio Hieronymianam ætatem antevertat; quandoquidem ſub Hieronymo primæva Interpretatio cœpit immutari, multis ab eo additis, multis etiam expunctis, ut genuinam lectionem reſtitueret. Additamenta quædam, quæ Italæ accedunt, in Hebraico verò Textu deſiderantur, novum hujuſce Verſionis characterem conſtituunt. Poſtremò, D. Auguſtino teſte, ad Italam diſtinguendam duo hæc conveniunt: Sermonis perſpicuitas, verborumque tenacitas; hoc eſt ſumma cum Græca veritate concordia, barbarie nequaquam obſtante; atque in ſententiis obvius Sermo, qui apertus defluit, atque perſpicuus. An XXIX. *Itala Verſionis notæ, ac characteres.*

[ii] *Præf. Part. I. §. III. a num. XXVIII. ad XXXII.*

XXX. *An Romano Pſalterio conveniant, ex Hieronymo dijudicandum.*

An hiſce characteribus Romanum Pſalterium revera ſit inſtructum, Hieronymo duce, ac Præceptore dijudicabimus; nemo enim hac in re comparandus Hieronymo, qui nedum Veteres Latinos, ſed & Græcos Hebraicoſque Codices penè dixerim univerſos, verſavit, conſuluit, contulit, expendit. Nullibi verò aut prolixiorem, aut accuratiorem de Pſalmis ſermonem inſtituit S. Doctor, quam in celeberrima illa ad Sunniam & Fretelam Epiſtola; cujus ſenſum ut pleniùs aſſequamur, quo tempore, qua occaſione, quibus inſtantibus ea fuerit conſcripta, adnotaſſe non erit ſupervacaneum.

XXXI. *Epiſtolæ ad Sunniam, & Fretelam methodus, argumentum, ætas.*

Sunnia & Fretela fratres erant, atque ex ipſo nominis indicio, natione Getæ, aut Germani. Latinis Græciſque literis ſatis inſtructi, Hebraici Sermonis elementa vix noverant. Quum multæ ac diſſimiles Pſalmorum Verſiones circumferrentur; aliud enim Κοινὴ Editio, ſive Latina Vetus Interpretatio, aliud ea, quam ſecundis curis Hieronymus emendaverat, inſonabat; in re tanti momenti, dubij atque incerti quamnam tutò ſequerentur lectionem, miſſo ad S. Doctorem nuncio, & longa locorum, qui erant diſſoni, deſcripta ſerie, illud enixè poſtulabant, ut tandem aliquando decretorium de germana ſolidaque lectione judicium ferret; atque, quid Hebraicæ veritati, quam in Codicum diſcrepantia noverant conſulendam, conſonum magis eſſet, aperiret.

Votis annuit Hieronymus; & poſtquam in Sunnia ac Fretela veritatis ac Religionis ſtudium commendavit, longam ſcribit Epiſtolam, eo conſilio, ac methodo, ut quo ordine lectionum diverſitas fuerat diſpoſita, eodem Hieronymi reſponſa diſtribuerentur. Ita verò in Epiſtolæ contextu rem componit: Primo loco Emendationem Bethlehemi adornatam, quam accuratiſſimam noverat, deſcribit: Huic mendoſam Κοινῆς Editionis, ſive ipſius Italæ lectionem ſubjicit: Tertiò, ut quænam ex diſſimili Verſione probanda ſit certò ſtatuat, Hebraici Codicis literam ac ſenſum aperit; atque Emendationi ſecundis

curis

Digitized by Google

curis elucubratæ, Hebraicam veritatem conſentire demonſtrat. Hoc pacto litem dirimit; ſuam vindicat Emendationem; & pendulum Getarum animum roborat, atque confirmat. Scripta creditur Epiſtola anno Æræ Chriſtianæ circiter 405. [kk].

XXXII. *Itala Verſio Græcam lectionem repræſentat.*

Patet igitur ex Epiſtolæ ſerie, quænam ætate Hieronymi, cùm in Græcis, tùm in Latinis Hebraicisque Codicibus obtineret lectio: Patet quænam Hieronymianæ Emendationis vis eſſet, quæ ratio. Hanc Emendationem ab eo Pſalterio, quod in Eccleſiis hodie Commune eſt, non differre, ex ipſa liquet comparatione. Rurſum, hanc ipſam Emendationem Hebraico Textui in multis convenire probat S. Doctor. Patet etiam omnimodam inter Græcam Κοινὴν, & Latinam Veterem Interpretationem deprehendi concordiam. Ex quo licet inferre, Italam ſive *Vulgatam Latinam* Veterem, a Græca *Vulgata* fuiſſe tranſlatam. Favet nomen affine, ac geminum; favet mira inter utramque conſenſio; favet poſtremò D. Auguſtinus, qui Verſionem eamdem, quam alicubi vocavit Italam, alibi *Uſitatam Interpretationem* aliquando appellavit [ll].

XXXIII. *Idem de Romano Pſalterio ſentiendum, probat ſubjectum Schema.*

Ergo, ſi Romanum Pſalterium cum Græca Editione convenire probabimus, illud Italæ partem eſſe, nemo, qui ratione utitur, inficiabitur. Ut rem oculis ſubjiciamus,

[kk] *P. Martianæus Tom. I. Oper. S. Hier. pag. 666.*

[ll] *Lib. de Conſenſ. Euangeliſtar. capit. 66. Hunc D. Auguſtini locum expendentes PP. Maurini in Præfatione ad 3. Tom. Operum S. Auguſtini, hæc habent: Eam Interpretationem credimus illam eſſe, quam ipſe* Uſitatam *appellat, Hieronymus* Veterem *&* Vulgatam, *eamdem fortaſſe, quam ceteris præfert Auguſtinus, nempe* Italam, *ab ipſo laudatam in lib. 2. de doct. Chriſtiana cap. 15., tamquam Verborum tenaciorem cum perſpicuitate ſententiæ: Si tamen Italica hæc aliud complectebatur, quam novum Teſtamentum; quod ex Auguſtini verbis non penitus exploratum eſt.*

Digitized by Google

mus, Schema dabimus tribus columnis diſtinctum, quarum prima Græcam Verſionem; altera Romani Pſalterij lectionem; tertia Hieronymi cenſuram proponat. Si, authore Hieronymo, Græca & Romana lectio par ſit, itaut, quod uni tribuitur, alteri conveniat; & quod uni repugnat, alteri denegetur, habebimus in Romano Pſalterio Italam Tranſlationem, ſive Italæ Tranſlationis characteres uſque adeo proprios, ut de illius veritate dubitare præpoſterum videatur. Rem ad experimentum, ac judicium exigimus: Experimentum e Schemate petitur: Judicium non ex noſtra, non ex recenti, aut incerta, ſed ex Hieronymi cenſura omnium accuratiſſima.

SCHE-

Digitized by Google

SCHEMA PRIMUM.

In quo Veteris Italae, ſive Κοινῆς Verſionis loca aliquot cum Romani Pſalterij lectione componuntur.

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura. *Epiſt. ad Sun. & Fret.*
Pſal. v. 9. Dirige in conſpectu *tuo* viam *meam*.	Dirige in conſpectu *tuo* viam *meam*.	Habetur in Græco: Κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου, hoc eſt Dirige in coſpectu *tuo* viam *meam*. Hanc lectionem nullibi legi, excepta *Communi*, ſeu *Vulgata*, quod nec LXX. habent, nec Aquila, nec Symmachus, nec Theodotio; ſed ſola Κοινὴ Editio. Denique in Hebræo ita ſcriptum reperi הושר לפני דרכך oſer laphanai darchach (a).

(a) *Multa in hoc Pſalmi loco notatu digna. Primum eſt, præcipuum ac perpetuum* Italæ *Verſionis, ideoque & Romani Pſalterij characterem hunc eſſe, ut cum Græca Editione, non quacunque, ſed* Κοινὴ *ſive Vulgata optimè reſpondeat. Quod nedum hìc, ſed in toto Schematis contextu ſedulò obſervandum.*

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Pſalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. VI. 11. Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei.	Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei.	Dicitis in Græco *Vehementer* non haberi; ſcio, ſed hoc in Editione Vulgata; ceterum in Hebræo habet mod מאד, ideſt *Vehementer*, & omnes σφόδρα ſimiliter trãſtulerunt.

Alterum eſt; Hieronymum ſua ætate Hebraicas voces ſecus ac hodie leguntur, pronunciaſſe. Perpetuum fere eſt lectionis hujuſce diſcrimen, ſi Maurinam & Veronenſem Operum S. Doctoris Editiones omnium caſtigatiſſimas, quibus idcirco uti maluimus, quibuſcumque aliis poſthabitis, conſulamus. Varietas a diſſimili vocalium appoſitione repetenda. Quam Maſſorethæ circa VIII. Eccleſiæ Seculum Punctorum vocalium rationem excogitarunt, nec novit nec ſervavit Hieronymus Hebraici Sermonis longè doctiſſimus. Non eſt igitur Hieronymiana lectio improbanda, niſi fortè in Codices mendæ irrepſerint: quidquid dicant moderni Grammatici, aut ij qui in Maſſorethārum methodum, ac verba jurarunt.

Tertium eſt: Nonnulla quæ Hieronymus damnat, in Hieronymiana Pſalterij Emendatione quam ſecundis expreſſit curis, occurrere. Res patet ex Vulgatæ recentis Pſalterio, quod illud idem eſt quod Bethlehemi Hieronymus caſtigavit. Mendoſam lectionem aut Codicum depravatio, aut Gallorum cum Romanis commercium invexit. Quum enim Romani pſallendi ritum Gallos docuerint; quumque olim utrique nationi Pſalterium fuerit diſſimile; facili negocio ex una Verſione in aliam nonnulla tranſlata ſunt. De quo in III. Diſſert. Capite infra pluribus.

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. VIII. 4. Quoniam videbo Cælos opera digitorum tuorum.	Quoniam videbo Cælos opera digitorum tuorum.	Dicitis quod *tuos* in Græco non habeatur, verum eſt; ſed in Hebræo legitur Samacha שמיך, quod interpretatur Cælos tuos; & de Editione Theodotionis in LXX. Interpret. additum eſt ſub Aſteriſco.
Pſal. XVI. 2. Oculi *mei* videant æquitatem.	Oculi *mei* videant æquitatem.	In Græco vos legiſſe dixiſtis: *οἱ ὀφθαλμοί μου*, ideſt oculi *mei*; ſed rectius oculi *tui*.
Pſal. XVII. 36. Et dediſti mihi protectionem ſalutis *meæ*.	Et dediſti mihi protectionem ſalutis *meæ*.	In Græco vos legiſſe dixiſtis *τῆς σωτηρίας μου*, ideſt ſalutis *meæ*; ſed in Hebræo Jeſacha ישעך ſalutis *tuæ* ſignificat non *meæ*.
Pſal. XXI. 24. Univerſum ſemen Jacob *magnificate* eum.	Univerſum ſemen Jacob *magnificate* eum.	In Græco ſcriptum eſt: *δοξάσατε αὐτὸν*; ideſt *glorificate* eum; Sed ſciendum, quod ubicumque in Græco ſcriptum eſt *glorificate* Latinus Interpres *magnificate* tranſtulerit.

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psaterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. xxii. 5. Calix *tuus* inebrians, quam præclarus eſt!	Poculum *tuum* inebrians, quam præclarum eſt.	In Græco legiſſe vos dicitis, Calix *tuus*; ſed hoc in Κοινῇ error obtinuit. Ceterum & LXX., & Hebraicum, & omnes Interpretes *Calix meus* habent, quod Hebraicè dicitur Choſe כוסי; alioquin ſi *Calix tuus* eſſet, diceretur Choſach כוסך.
Pſal. xxiv. 21. Quoniam ſuſtinui te, *Domine*.	Quoniam ſuſtinui te, *Domine*;	Dicitis in Græco vos reperiſſe *Domine*; quod ſuperfluum eſt.
Pſal. xxviii. 10. Dominus diluvium *inhabitat*.	Dominus diluvium *inhabitat*.	Legiſſe vos dicitis: Dominus diluvium *inhabitat*; ſed quia jaſab ישב verbum ambiguum eſt, & poteſt utrumque ſonare... de ipſis ſentire voluimus, qui glorificant Dominum; & interpretati ſumus: Dominus diluvium *inhabitare facit*.

Digitized by Google

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſalm. xxx. 5. Quoniam tu es protector meus *Domine*.	Quoniam tu es protector meus *Domine*.	Rurſum in hoc loco nomen *Domini* additum eſt; & ne eadem ſemper inculcem, obſervare debetis nomen *Domini* & *Dei* ſæpiſſime additum [b].
Pſal. eod. v. 23. Ego autem dixi in *pavore meo*.	Ego autem dixi in *pavore meo*.	In Latinis Codicibus legebatur in *pavore meo*; & nos juxta Græcum tranſtulimus ἐν τῇ ἐκστάσει μου, id-eſt in exceſſu mentis meæ. [c].
Pſal. xxxi. 2. Nec eſt in *ore ejus* dolus.	Nec eſt in *ore ejus* dolus.	In Græco vos legiſſe dicitis ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος, ideſt in *ore ejus* dolus, quod ſolus Symmachus poſuit; alioquin & LXX. Interpretes, & Theodotion, & v. & vi. Editio, & Aquila, & ipſum Hebraicum in Spiritu ejus habet, quod Hebraicè dicitur brucho ברוחו; ſin autem eſſet in *ore ejus*, baſſio בפיו.

[*b*] *Ejuſmodi additamenta, quæ alterum Italæ Verſionis characterem conſtituunt, in Romano Pſalterio uſque*

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. xxvi. 23. Et viam ejus volet *nimis*.	Et viam ejus cupit *nimis*.	In Græco volet *nimis* vos legiſſe dicitis, quod additum eſt, nec apud quemquam habetur Interpretum.
Pſal. xli. 12. Spera in Deo, quoniam confitebor illi.	Spera in Deo, quoniam confitebor illi.	Dicitis *adhuc* in Græco non inveniri; quod ſub aſteriſco additum eſt; Ita enim & in Hebræo ſcriptum reperimus ὅτι ἔτι, latineque dicitur; quoniam *adhuc*.
Pſal. xliv. 6. Sagittæ tuæ acutæ, *potentiſſime*.	Sagittæ tuæ acutæ, *potentiſſime*.	In Græco legiſſe vos dicitis acutæ *potentiſſime*; ſed hoc malè, & de ſuperiori verſiculo additum eſt.
Pſal. xlvii. 5. Quoniam ecce *Reges terræ* congregati ſunt.	Quoniam ecce *Reges terræ* congregati ſunt.	In Veteribus Codicibus latinorum ſcriptum erat *Reges terræ*; quod nos tulimus, quia nec in Hebræo, nec in 70. reperitur.

adeo familiaria ſunt, ut res notior ſit, quam quæ multorum collectione Exemplorum debeat illuſtrari.

(c) *Latini Codices, quorum Hieronymus meminit, eos indicant, qui Hieronymi ætate antiquiores, Italam Verſionem repræſentabant. Quod Vetuſtis illis Codicibus conſonat, Romano congruit Pſalterio; atque en alium Italæ characterem.*

Κοινὴ SIVE EDITIO VULGATA.	PSALTERIUM ROMANUM.	HIERONYMI CENSURA.
Pſal. LVIII. 12. Ne quando obliviſcantur *legis tuæ*.	Ne quando obliviſcantur *legis tuæ*.	In Græco ſcriptum eſt: *Legis tuæ*; ſed in LXX., & in Hebræo non habet *populi tui*, ſed *populi mei*; & ita a nobis verſum eſt(d).
Pſal. LXII. 2. Sitivit *in te* anima mea.	Sitivit *in te* anima mea.	In Græco eſt: Sitivit *in te* anima mea; ſed in Hebreo non habet atta אתה, quod ſignificat *te*, ſed לך quod oſtenditur *Tibi*; quod omnes Interpretes tranſtulerunt.
Pſal. LXIV. 8. Sonum autem fluctus ejus *quis ſuſtinebit?*	Sonum autem fluctus ejus *quis ſuſtinebit?*	In Græco additum ſcribitis: *quis ſuſtinebit?* Quod ſuperfluum eſt.
Pſal. LXV. 15. Holocauſta medullata offeram tibi cum *incenſo, & arietibus*,	Holocauſta medullata offeram tibi cum *incenſo, & arietibus*.	Inveniſſe vos dicitis cum incenſo & *arietibus*; ſed malè: In Hebræo enim ſcriptum eſt em catoroth elim עם קטרת אלים, quod interpretatur, *μετὰ θυμιάματος τῶν κριῶν*, ideſt cum incenſo *arietum*.

(d d) *Verſio quam S. Doctor hic nominat, Emendationem ſignificat Obelis & Aſteriſcis munitam, quæ ſucceſſu*

Digitized by Google

Κοινὴ ſive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. lxvii. 25. Viſi ſunt *ingreſſus tui*, Deus.	Viſi ſunt *greſſus tui*, Deus.	In Græco ſcriptum eſt, viſi ſunt *ingreſſus tui*, Deus. In Hebræo ita habet raualichotach ראו הליכותיך, quod Aquila, & Symmachus, & Theodotio interpretati ſunt: Viderunt *itinera tua*, Deus.
Pſal. lxxi. 18. Benedictus Dominus *Deus* Iſrael.	Benedictus Dominus *Deus* Iſrael.	Dicitis in Græco bis *Deus* non haberi, cum in Hebræo ſit, & apud LXX.; & maniſeſtiſſimè triplex Domini, Deique nuncupatio myſterium Trinitatis ſit.
Pſal. lxxiv. 3. Narrabo *omnia* mirabilia tua.	Narrabo *omnia* mirabilia tua.	Malè apud Græcos legitur Narrabo *omnia* mirabilia tua.
Pſal. lxxxv. 15. Et tu Domine Deus *meus* miſerator, & miſericors.	Et tu Domine Deus *meus* miſerator, & miſericors.	In Græco inveniſſe vos dicitis: Et tu Domine Deus *meus*; quod ſuperfluum eſt; *meus* enim nec in Hebræo habetur, nec in LXX.

temporis Gallicanum, hodie Vulgatum Pſalterium audit. Hanc Emendationem latiori Vocabulo Verſionem appellat, non quòd ex integro Verſionem confecerit, ſed quòd inter emendandum multa de novo tranſtulerit.

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. lxxxviii 20 Tunc loquutus es in aſpectu *filiis tuis*.	Tunc loquutus es in aſpectu *filiis tuis*.	In Græco *filiis tuis* inveniſſe vos dicitis. Sed ſciendum, in Hebræo Laaſidach לחסידיך habere, quod omnes τοῖς ὁσίοις σου, ideſt *Sanctis tuis* tranſtulerunt .... Et in Κοινῇ tantùm pro *Sanctis filios* reperi.
Pſal. xcvii. 3. Memor fuit miſericordiæ ſuæ *Iacob*.	Memor fuit miſericordiæ ſuæ *Iacob*.	In Græco inveniſſe vos dicitis, Miſericordiæ ſuæ *Iacob*; ſed hîc *Iacob* nomen ſuperfluum eſt.
Pſal. ci. 8. Factus ſum ſicut Paſſer unicus in *ædificio*.	Factus ſum ſicut Paſſer unicus in *ædificio*.	Dicitis vos in Greco inveniſſe ἐπὶ δώματος, quod antiqui Codices Latinorum interpretati ſunt in *ædificio*.
Pſal. ciii. 25. Hoc mare magnum, & ſpatioſum.	Hoc mare magnum, & ſpatioſum.	Dicitis in Græco *manibus* non haberi, & ego novi; ſed de Hebraico & Theodotionis Editione in LXX. ſub Aſteriſco additum eſt.

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Cenſura.
Pſal. CVII. 10. Mihi alienigenæ *ſubditi ſunt*.	Mihi allophyli *ſubditi ſunt*.	In Græco inveniſſe vos dicitis *ὑπετάγησαν*, hoc eſt *ſubditi* ſunt; ſed hoc in Pſal. LIX. ſcriptum eſt; in præſenti autem ita apud omnes invenimus Tranſlatores ἐμοὶ ἀλλόφυλοι ἐφιλίασαν ideſt, *amici facti ſunt*. Quod Hebraicè dicitur ethroe אתרועע. (*e*)
Pſal. CXIII. 3. In Cælo, *&* *in* *Terra* omnia quæcumque voluit fecit.	In Cælo, *& in Terra* omnia quæcumque voluit fecit.	In Græco legiſſe vos dicitis in Cælo, & *in Terra*; ſed & hoc ſuperfluum eſt.
Pſal. CXVIII. 47. Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi *vehementer*.	Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi *vehementer*.	In Græco *vehementer* additum legiſſe vos dicitis; ſed hoc ſuperfluum eſt.

(*e*) *Ex vi Græci nominis, vox Allophyli extraneos, & alienigenas propriè ſignificat. Græcum vocabulum ſervatur in Romano Pſalterio, quod ad Græcam literam propiùs accedit; Latinum ſupponit Hieronymus, ut Romani Sermonis proprietati conſulat magis. Neutra tamen, ſive Latina, ſive Græca verſio, Hebraico vocabulo, quod Philiſtæos exprimit, ad verbum reſpondet. Conferatur hic Pſalmi verſiculus cum*

Digitized by Google

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. eod. v. 109. Anima mea in manibus *tuis ſemper*.	Anima mea in manibus *tuis ſemper*.	In Græco legiſſe vos dicitis anima mea in manibus *tuis* ſemper, ſed ſciendum & apud Hebræos & apud 70. & omnes alios Interpretes ſemper eſſe in *manibus meis* & non in manibus *tuis*, quod Hebraicè dicitur Bachaffi בכפי, & omnes apud Græcos Eccleſiaſticos Interpretes iſtum locum ſic ediſſerunt [*f*].
Pſal. cxxxv. 7. Qui fecit luminaria *magna ſolus*.	Qui fecit luminaria *magna ſolus*.	Dicitis quia in Græco inveneritis: *magna ſolus*; ſed hoc de ſuperiori verſiculo eſt, ubi legimus: Qui fecit mirabilia *magna ſolus*. Ibi ergo legendum eſt, & hîc quaſi ſuperfluum non ſcribendum.

H 2

Titulo Pſalmi CVIII. juxta Hebraicam ſupputationem, & Verſiones cum fonte primigenio componantur.

[*f*] *Hæc S. Doctoris verba expendens Martianæus Tom. I. Oper. S. Hieron. pag.* 1402. *in fin., ita concludit: Pſalterium igitur Romanum nonnihil admixtum habet VI. Editionis. Si Viri docti ratiocinium valet, commixtio illa, non jam Hie-*

Κοινὴ Sive Editio Vulgata.	Psalterium Romanum.	Hieronymi Censura.
Pſal. cxxxviii. 4. Quia non eſt *dolus* in lingua mea.	Quia non eſt *dolus* in lingua mea.	In Græco legiſſe vos dicitis: Quia non eſt *dolus* in lingua mea; quod ſolum VI. Editio interpretata eſt: Ceterum & apud LXX., & apud omnes Interpretes, & ipſum Hebraicum vel λαλίαν, vel λόγον, ideſt eloquium, & verbum ſcriptum habet. Denique Hebraicè mala מלח dicitur.
Pſal. cxxxix. 6. Et funes extenderunt in laqueum *pedibus meis*.	Et funes extenderunt in laqueum pedibus *meis*.	In Græco inveniſſe vos dicitis: Funes extenderunt laqueum *pedibus meis* ſed hoc in hoc loco ſuperfluum eſt.
Pſal. eod. v. 14. *Et* habitabunt recti cum vultu tuo.	*Et* habitabunt recti cum vultu tuo.	In Græco reperiſſe vos dicitis: *Et* habitabunt; ſed hîc, *Et*, conjunctio ſuperflua eſt.

ronymo, ſed alteri erit tribuenda; non enim veriſimile eſt, S. Doctorem eam, quam improbat, lectionem inſeruiſſe. Eadem ratio de ceteris Verſionibus, quæ Romanam imitantur, habenda eſt. Etenim, Hieronymo teſte, nulla Verſio, etſi antiquiſſima, VI. Editionis ætatem hac in parte præcedit.

Digitized by Google

Etſi verò memoratæ ad Sunniam Fretelamque Epiſtolæ fines prætergrediamur, non leve, argumento quod tractamus, accedit momentum. Vexatiſſima olim fuit, ac D. Hilarij diu torſit ingenium ea Pſalmi ſententia (mm): *Labores fructuum tuorum manducabis, beatus es, & benè tibi erit*. Non enim, ſi propriè loquamur, labore fructuum, ſed contra fructu laboris quis veſcitur. Perplexa ſane lectio, ſed vetuſtiſſima; quam idcirco, quum primas in Romanum Pſalterium curas Hieronymus contulit, relinquere maluit inemendatam: Tanta erat Vetuſtiſſimorum Voluminum hac in parte concordia. At mox difficultatem maturiùs expendens in altera Pſalterij caſtigatione, ſublatis ambagibus, genuinam lectionem inſeruit. Ut errorem detegeret facem illi prætulere Hebraicus Codex, atque Hexapla Origeniana. Quod enim Latinus Interpres verterat *Labores fructuum*, extabat Hebraicè *Labores manuum*; eamdemque planè ſententiam ſequutus eſt Origenes, Symmacho præeunte. Tota ergo loci perplexitas a Græca voce καρπὸς, quæ & *fructum*, & *manum* ſignificat, repetenda. Vetus Interpres *fructum* tranſtulit; atque literali ſenſui ſervando unicè intentus, duriorne ſequeretur inde ſententia, parum curavit. Rem tandem aperuit Symmachus, qui Hebraicos adivit fontes; Symmachum ſequutus eſt Origenes; hunc Hieronymus. XXXIV. *Alius pro Romani Pſalterij Vetuſtate, Pſalmi locus.*

Audiamus quid hac de re nobis ediſſerat S. Doctor. Poſtquam multas ac graves cùm D. Hilarij, tùm aliorum Latinorum curas in Pſalmi loco elucidando ille propoſuit, hæc tandem ſubdit [nn]: *In hoc loco non LXX. Interpretes, ſed Latini, de Græci verbi ambiguitate decepti,* καρποὺς fructus *magis quam* manus *interpretati ſunt, quum* καρποὶ manus *quoque dicantur, quod in Hebræo ponitur* כפיך, *& Symmachus, Quintaque Editio tranſtulerunt* ma- XXXV. *Explicatur, & illuſtratur authoritate Hieronymi.*

[mm] *Pſal. CXXVII.* 2.
[nn] *Epiſt. CXLI.*

Digitized by Google

manuum tuarum, *ut ambiguitatem prioris ſermonis effugerent*. Ea igitur Latinæ Verſionis vetuſtas fuit, ut Symmachi ætatem longe anteceſſerit; nec ullus ante Hieronymum novam in Latinos Codices detulit Interpretationem. Ex quo patet vetuſtiſſimæ Verſioni accenſendum Romanum Pſalterium, quod lectionem ſervat antiquiſſimam: *Labores fructuum tuorum manducabis*. Contra verò ætatem redolet Hieronymo recentiorem Verſio illa, quæ Gallicanum Pſalterium imitatur, ac legit: *Labores manuum tuarum quia manducabis*.

XXXVI. *Novum vetuſtatis indicium ex verſiculis quibuſdam Pſalmo XIII. inſititijs.*

In Pſalmo XIII. nonnulli occurrunt verſiculi, quos nec Hebraica, nec Græca τῶν LXX. Volumina admittunt. Eos adſcititios fatetur Hieronymus, atque ex varijs Scripturæ locis in Pſalmum intruſos. Sunt autem hi: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant &c.* uſque ad poſtrema illa verba: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*. Iſthæc additamenta a Κοινὴ Editione repetit S. Doctor, ex qua in Veterem Latinam Verſionem facilè tranſlata ſunt. Ejuſmodi verſus in poſteriore Pſalterij Emendatione intactos reliquit, atque in Romano Pſalterio cuique ſunt obvij. Nova lectio, etſi minus Hebraicis fontibus conſona, vetuſtiſſima tamen eſt, quia Κοινῆς Editionis filia. Hanc ſervat Romana Pſalmodia: Atque en alterum vetuſtatis argumentum. Quum enim Græca Κοινὴ hanc lectionem ſuppeditaverit, oportet ut ſuperadditos illos Verſiculos Italæ Tranſlationi tribuamus; non enim aliunde quam ab Editione Κοινὴ Itala Verſio defluxit. Rem ita explicat memoratus Hieronymus [oo]: *Omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis ſuæ commentarios in Pſalmos reliquerunt, hos Verſiculos veru annotant, liquidò confitentes in Hebraico non haberi, nec eſſe in LXX. Interpretibus, ſed in Editione Vulgata, quæ Græce Κοινὴ dicitur, & in toto Orbe diverſa eſt.*

XXXVII. *Aliquot Italæ Verſionis ex-*

Alij ſuperſunt loci vetuſtatis Romanæ Verſionis indices,

[oo] *Lib. XVI. Commentar. in Eſaiam.*

ces, quos hic innuere potius, quam urgere ſat erit. Ille quidem notiſſimus: *Dominus regnavit a Ligno*; quem locum Italæ Verſioni fuiſſe familiarem, Vetuſtiſſimorum Codicum probat conſenſus, cui Fortunatus Poeta V. Seculi Scriptor ſeſe conformavit. Vetuſtis item lectionibus nonnulli accenſent Verſionem illam: *Myrrha, & gutta, & caſia a veſtimentis tuis a gradibus eburneis*: Et rurſus aliam: *Deus in gradibus ejus dignoſcetur*. Favet Hieronymi teſtimonium, qui in explanatione Pſalmi XLIV. ad Principiam Virginem hæc habet: *Pro eo quod nos tranſtulimus* domibus eburneis, *quia in Græco ſcriptum eſt* ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων, *quidam Latinorum ob verbi ambiguitatem*, a gravibus *interpretati ſunt, quaſi* βαρὺς *verbum ſit* ἐπιχώριον *Palæſtinæ; & uſque hodie domus ex omni parte concluſæ, & in modum ædificatæ turrium, & mœnium publicorum* βαρεῖς *appellentur*. Eam quoque Verſionem [pp]: *In medio duorum animalium cognoſceris*, ex Græca Vulgata in Italam fuiſſe tranſlatam negabit nemo, qui a Vetuſtis Codicibus atque Patribus, imo & a D. Hieronymo, qui myſterium in illa introſpicit, noverit commendari. Haſce lectiones exhibet Romanum Pſalterium. Hinc non immeritò Marius Alterius Vaticanæ Baſilicæ Theologus atque Canonicus, ex duplici loco, altero Pſalmi XCV., altero Cantici, præclara quædam teſtimonia ad Catholicæ fidei confirmationem erui poſſe prudens affirmat [qq]. Prior namque locus Crucis myſteria: poſterior Chriſtum inter duo Teſtamenta, ſive inter Latrones medium, aut Bovem inter & Aſinum, præfiguravit.

ſcribuntur loci Rom. Pſalt. communes.

Poſſemus & voces, & phraſes nonnullas e Romano Pſalterio huc afferre, quæ Vetuſti Interpretis in Latina tranſlatione concinnanda ſedulam curam, ut literæ

litera

[pp] *Habacuc. III. juxta Veterem Italam.*

[qq] *In brevi quadam Præfatione ad Pſalterij Romani Editionem Typis excuſam Anno* 1593.

litera reſponderet, demonſtrant; ideoque aut barbariem aliquam in vocibus, aut in ſententiis loquendi rationem inſuavem ac minus Latinam non effugiunt. At ſupervacaneum ducimus in verbis immorari, quum Italæ Verſionis integras ſententias, ex iis quæ ſupra dedimus, Romanum Pſalterium præſeferat. Ad aliam igitur hujuſce Capitis partem, quæ Romani Pſalterij Emendationem complectitur, gradum faciamus.

XXXVIII. *Pſalterij Romani Emendatio ex ipſo nomine ſuadetur.*

Non leve de Romani Pſalterij caſtigatione argumentum ab ipſo Pſalterij nomine, atque ab ea, quam Hieronymus Romæ adornavit, Emendatione derivatur. Duo hæc componenda, & Hieronymum Romæ poſitum emendaſſe Pſalterium; & ipſum, quod Romæ decantabatur Pſalterium, poſt Hieronymi tempora Romanum fuiſſe appellatum. Primum ex ipſo patet Hieronymo; alterum ex Pſalterij Romani vocabulo, quod certo certius Hieronymiano ævo recentius eſt. Cur verò Romanum dictum, niſi a præcipuo, quem Romæ obtinebat uſu (rr)? At undenam uſus iſte præcipuus, niſi ab ipſa Hieronymi Emendatione? Si Romani, non ſecus ac Italorum reliqui, eamdem inemendatam Pſalmodiam habuiſſent promiſcuam, ea non Romana, ſed Itala, aut Communis dicenda potius eſſet; ſicut reipſa quæ in Italia potiſſimùm viguit Latina Verſio, Italæ nomine donata fuit. Peculiare ergo nomen Pſalterio inditum, aliquid, quod ceteris commune non erat, profecto innuit. Nos Emendationem in cauſſa fuiſſe conjicimus: Qui ſecus ſentit, aliam, ſi tamen illi dabitur, de Romani Pſalterij nomine rationem excogitet, atque producat.

XXXIX. *Locus Hieronymi de Rom. Pſalterij Correctione.*

Sed, omiſſo nomine, ipſam inſpiciamus Emendationem. Pſalterium Romæ correctum fatetur Hieronymus: Damaſo inſtante, imo & mandante correctum fuiſſe, conveniunt Scriptores [ſſ]. Quis autem putaverit

[rr] *Calmèt. Tom. I. differt. in Pſalm. art. 3.*
[ſſ] *Citantur infra ſub num. XLIII. Baron. ad an. 383.*

verit Emendationem Romæ habitam, in Urbis Eccleſiis non fuiſſe introductam? Fruſtra ſanè ceſſiſſet tanta Damaſi ſolicitudo, tanta Hieronymi cura, ſi uſque adeo neceſſaria Pſalmorum caſtigatio Romæ recepta non fuiſſet. Pudet ergo, aut S. Pontificem hac in re minus vigilem, aut Romanum Clerum adeo refractarium ac reluctantem credere, ut a Damaſo procuratam, commendatam, propoſitam rejecerit Emendationem.

XL. *Objectio contra Pſalterij Emendationem, proponitur.*

Poterat, inquies, Romanus Clerus impetrare ſub Damaſo quod ſub Pio V. obtinuiſſe jam novimus; nimirum ut nova Emendatione poſthabita, a Vetere Pſalmorum Verſione, etſi minus forte accurata, non recederet. Nihil hîc quod modeſtiæ fines excedat. Potuit etiam Emendatum Pſalterium ſemel introductum paulatim evanuiſſe; quum enim Romani priſcam Verſionem ſolemnem haberent ac familiarem, vix ac ne vix quidem poterant novæ Emendationi aſſueſcere. Equidem, quo ſemel imbuti ſumus, haud facile dediſcimus. Hinc, etſi aliquis Hieronymianæ Emendationis admittatur uſus, diuturnior ille non fuit; jam enim, quod Hieronymus non diſſimulat, *plus antiquus error, quam nova invaluit Emendatio.*

XLI. *Occurritur objectioni.*

Duo involvit objectio; alterum minus ad rem; alterum verò gravioris controverſiæ irritamentum. Quo ad primum, inepta eſt comparatio; nec a Pio ad Damaſum Pontificem valet ſimilitudo. Pius Vulgatum Pſalterium; Romanum invexit Damaſus; at ea fuit Pij mens, & in Antiquitatis gratiam provida diſpoſitio, ut eorum, qui bis centum & ultra annorum ſpatio peculiarem ſervabant ritum, optioni reliquerit, aut ad Communem tranſire, aut Veterem ſervare Pſalmodiam. In hoc rerum ſtatu, primævos mores noluit Vaticanus Clerus miſſos facere, ut novos indueret; ideoque, Pontifice permittente, in ea, quam ſemel cœperat inſtitutione perſeveravit. Verùm nil tale occurrit de Damaſo; quem & novæ Emendationis ſolicitum, & ut ea in ſacros uſus revocaretur, ſtudioſiſſimum credere par eſt.

 Alte-

XLII. *Quæſtioni de Emendationis diuturnitate nonnulla præmittuntur.*

Alterum in objectione propoſitum, Emendationis diuturnitatem attingit, & litem excitat, quam ut fuſiori tractemus ſtylo, inſtituti noſtri ratio poſtulat. Fatemur tamen, in re magni momenti nec rationes, nec monumenta ſuppetere, ut ea pro dignitate ac meritis illuſtretur. Nemo hanc provinciam, quam inacceſſum ſolum jure-meritò dixeris, luſtravit univerſam; & ſi qui ſunt, qui de Romano Pſalterio ſermonem habuerint, intimos rei ſinus, & potiora cauſæ momenta inſpicere non curarunt. Major nobis cura; & eo quo in Vaticanam Baſilicam ſtudio, ac ſervitio devincimur, haud mediocris ſolicitudo. Quum fontes deſint, qui ſitim extinguant, rivos conquirimus, qui ſaltem minuant. Quæ excogitare nobis licuit argumenta producimus; conjecturas addimus; nil intentatum relinquimus, ut qua licet ratione, veritatem, ſi fieri umquam poſſit, aſſequamur. Eorum qui Emendationis diuturnitatem Romano Pſalterio appingunt; eorum qui denegant, ſententiam æqua lance libramus, in neutram partem proni; quoniam ij non ſumus, ut cauſæ pondus addere nos poſſe arbitremur. Quoniam vero quæ proferimus argumenta [malim conjecturas dicere] noſtro adinventa ſunt labore, noſtroque animo excogitata, hinc maluimus eademmet argumenta noſtris potius quam alienis vocibus enunciare. In utraque ſententia elucidanda nos ipſi in ſcenam prodimus; alienam cauſſam ut noſtram tractamus, non quòd revera ea noſtra ſit; ſed quòd rationes a nobis conquiſitas, effoſſas, collectas, certa diſponere methodo, ac noſtro potius quam alieno promere cantu, duximus opportuniùs. Verbo: cauſſam agimus ſpecie noſtram; re ipſa alienam. Ea, quæ Emendationis diuturnitatem videntur evincere, ſi quid tamen conjiciendo evinci poteſt, præmittimus argumenta.

XLIII. *Hieronymiana Romani Pſalterij caſtigatio men-*

Et primò: Quæ in Romano Pſalterio Italæ Verſioni conformia, ex præmiſſo Schemate, non raro occurrunt loca, àc Hieronymi cenſura non vacant, ea non ſunt quæ Hieronymianam caſtigationem omninò excludant.

Digitized by Google

dant. Bene namque componi poſſunt ſphalmata quædam cum incurioſa Emendatione. Quæ incudi ac limæ redditur cenſura, maculas excludit omnes; quæ verò perfunctoriè, ac pingui, ut in proverbio eſt, Minerva inſtituitur, multos quidem expungit errores; at multos etiam relinquit inemendatos. Juvat meminiſſe, Hieronymum *curſim & magna ex parte* Romanum expurgaſſe Pſalterium: Si *curſim*, multa elabi potuere animadverſione digna; Si *magna ex parte*, aliqua igitur Pſalmorum portio jacuit neglecta. Quæ Hieronymus aut non ſatis advertit, aut ſi advertit diſſimulare maluit, Schema propoſuit; quæ reprehendit, atque e Romano Pſalterio eliminavit, infra numerabimus. *das omnes non expunxit.*

XLIV. *Primum a Strabonis auctoritate argumentum.*

Nulla quidem, ſive apud Hieronymum, ſive apud Scriptores & Patres Hieronymo ſynchronos, aut ſaltem ætate proximos, de emendati Pſalterij apud Romanos uſu occurrit expreſſa mentio. Quod tamen ſilentium ſervant Veteres, rumpunt ſequioris ævi Scriptores, ac monumenta quædam e nonnullis, iiſque vetuſtiſſimis, qui Pſalmos exhibent, Codicibus eruta. Qui de gemino Pſalterio uberius loquantur, primi, quos noverimus, occurrunt Berno Augienſis, Vvalafridus Strabo, & Sigebertus in Chronico. Floruit Strabo Seculo Eccleſiæ IX., Berno XI., Sigebertus XII. ineunte. Horum prima fronte ſententia diſſimilis, reipſa tamen in unum convenit. Audiendi ſinguli, atque ad invicem componendi. *Pſalmos*, inquit Strabo [tt], *quum ſecundùm LXX. Interpretes Romani adhuc habeant, Galli & Germani aliqui ſecundùm Emendationem, quam Hieronymus Pater de LXX. Editione compoſuit, Pſalterium cantant*. Videtur hic Pſalterium Gallicanum a Romano ſola Emendatione diſtinguere; atque Gallis a Hieronymo caſtigatum; Romanis purum putumque, ſicut e Græca Verſione fluxerat, adjudicare. Quid Strabo revera ſenſerit, patebit infra.

[tt] *Lib. de reb. Eccleſiaſt. cap. 25. in fin.*

XLV. *Alterum ex Bernonis Epiſtola.* Bernonis verba ſunt [*u u*]: *Inter cetera* [de Hieronymo loquitur] *Ex emendata LXX. Interpretum Tranſlatione Pſalterium e Græco in Latinum vertit, illudque cantandum omnibus Galliæ, ac quibuſdam Germaniæ Eccelſiis tradidit; & ob hoc Gallicanum Pſalterium appellavit, Romanis adhuc ex corrupta Vulgata Editione Pſalterium canentibus; ex qua Romani cantum compoſuerunt, nobiſque uſum cantandi contradiderunt. Unde accidit, quòd verba, quæ in diurnis, vel in nocturnis Officiis canendi more modulantur, intermiſceantur, & confusè noſtris Pſalmis inſerantur; ut a minus peritis haud facile poſſit diſcerni quid noſtræ vel Romanæ conveniat Editioni. Quod pius Pater, ac peritus Magiſter intuens, tres Editiones in uno Volumine compoſuit, & Gallicanum Pſalterium, quod nos canimus, ordinavit in una columna, in altera Romanum, in tertia Hebræum.* Hactenus Berno.

XLVI. *Illuſtratur.* Omittimus hîc quæ de Pſalterij in Gallias tranſmiſſione Berno ſcribit, quoniam opportunior infra recurret locus. Quod ſedulò animadvertimus illud eſt, corruptam illam Vulgatam ex qua Pſalterium Romanum ait decantatum, Hieronymianam Emendationem nequaquam excludere. Alioquin fruſtra S. Pater peculiari quadam columna ejuſmodi Pſalterium diſpoſuiſſet, ſi Editio corrupta illamet erat, quæ per omnium manus circumferebatur. Deinde, cum triplex Pſalterium triplici columna digeſſerit, Opus ſuum coordinaſſe, ac geminam Emendationem e Græco Textu, una cum Verſione ex Hebraicis fontibus, in unum contuliſſe locum cenſendus eſt; ita tamen ut una alteri non commiſceretur. Secus, minus probanda Hieronymi œconomia, ſi duplici Pſalterio quod ipſe adornaverat, aliud aliunde petitum, mendiſque refertum appoſuiſſet.

XLVII. *Accedit conjectura.* Hanc firmat conjecturam vetuſtiſſimus, quo triplex Pſal-

[*u u*] *In Epiſt. M. S. ad Meginfridum & Bennonem apud Mabillon. Diſquiſit. de curſ. Gallic.* §. 11.

Pſalterium ſcribi conſueverat, uſus. Unum, illudque antiquiſſimum Abbatiæ S. Petri Carnutenſis Exemplar nominat Martianæus [xx], in quo triplex columna triplices Hieronymi circa Pſalterium exhibet curas; prima namque Verſionem ex Hebræo; altera Editionem Vulgatam Obelis, & Aſteriſcis inſtructam; tertia Romanum Pſalterium, aut alterum Romano quam ſimillimum repræſentat. Cur autem tria hæc Pſalteria in una pagina fuere coordinata, ſi diſſimilis eorum erat Author, aut ſaltem diverſus Emendator?

XLVIII *Locus Sigeberti pro Emendatione Pſalterij.*

Omnem verò dubitationem videtur excludere luculentiſſimus, quem e Sigeberto tranſcribimus, locus [yy]. *Pſalterium*, inquit, *quod ſecundùm LXX. Interpretes in omnibus Eccleſiis cantabatur, Hieronymus correxit. Quo iterum vitiato, Pſalterium novum compoſuit, quod a LXX. Interpretum Editione non multùm diſcordaret, & cum Hebraico multùm conveniret. Quod ut omnibus clarum fieret, ipſum Pſalterium diſtinxit per Aſteriſcos *, & per Obelos, ideſt virgam jacentem —, docens ea, quæ continentur ſub Aſteriſco * uſque ad duo puncta: in Hebræo haberi, & in LXX. prætermiſſa eſſe; ea vero, quæ continentur ſub Obelo — uſque ad duo puncta: In Hebræo non haberi, ſed a LXX. addita eſſe juxta Theodotionis dumtaxat Tranſlationem.* * Hoc Pſalterium Damaſus Papa rogatu Hieronymi in Gallicanis Eccleſiis cantari inſtituit, *& propter hoc Gallicanum vocatur; Romanis Pſalterium ſecundùm LXX. retinentibus ſibi, propter quod Romanum vocatur.*

* *Hæc verba in Manuſcripto Gemblacenſi cultro ſunt eraſa.*

XLIX *Urgetur, & explicatur.*

At, quodnam Pſalterium ſibi ſervavere Romani? Num Commune ac corruptum, ſive inemendatum? Si dicas inemendatum, inſulſa eſt oratio: Erat enim ejuſmodi Pſalterium ceteris familiare; ideoque non tam Romani, quam alii ſibi ſervaſſe dicendi ſunt. Erat igitur peculiaris

[xx] *Præfat in Pſalter. D. Auguſtin. Maurinæ Edition. Tom. IV.*

[yy] *Sigebert. in Chron. ad An.* 382.

liaris quædam Pſalmodia, quam ſingulari cura ſibi Roma adoptaverat, ideoque peculiari titulo Romanam, hoc eſt ſuam, nuncupavit. Par idcirco Sigeberti ac ceterorum, de Romani Pſalterij præcipuo quodam uſu, ſententia eſt. Romanos Pſalterium ſibi retinuiſſe, aut ex τῶν LXX. Verſione decantaſſe, aliquid ſanè innuit, in quo Romanus Clerus a reliquis extra Urbem Eccleſijs diſcriminatur. Unde verò diſcrimen niſi ab Emendatione? Alioquin Romanos nominare ſupervacaneum; ſi cùm illis, tùm reliquis in Sacris peragendis eadem Pſalmorum erat Verſio, ubique corrupta.

L. *Cur Emendatum Pſalterium dicatur Corruptum.*

At, reponet hic aliquis: Si Romanum Pſalterium Hieronymus caſtigaverat, cur Emendationem Scriptores prætereunt; imo verò cur appellant corruptum? Non invita excidit reſponſio. Duplici ratione corruptum dixere, abſolutè nimirum, & comparatè. Abſolutè, quia levior Emendatio errores quoſcumque non expiaverat: Comparatè, quia cum Gallicano collatum pluribus inquinatum maculis dignoſcebatur. Nulla ergo Emendationis incidit mentio, quòd reipſa caſtigatum dici nequeat quidquid multa adhuc ſervat, quæ ſi rigidiori ſubjiciantur cenſuræ, juremerito reprehendantur. Hæc autem Pſalterij Romani conditio eſt: nec mendis illud ſcatet; nec mendis, Hieronymo Iudice, vacat omnino.

LI. *Emendationem ſuadet Scriptorum numerus, & monumentorum authoritas.*

Si a Scribentium conſenſione ac numero ejus, quam tractamus, cauſæ definitio eſſet repetenda, poſſemus hìc tùm Veterum, tùm recentium Scriptorum, qui Romanum Pſalterium inemendatum denegant, longam ſeriem attexere; ac, præter Fabrum Stapulenſem, Sixtum Senenſem, Sixtinum Amama, Pithæum, Lorinum, Martianæum, Thomaſium, Calmetum; alios, qui vel hac noſtra vigent, ac clarent ætate, Blanchinum ac Vallarſium intelligo, cum laude nominare. Verùm, quia non tam Authorum numerus, quam rationum momenta penſanda ſunt; hinc, extrinſecis hiſce argumentis omiſſis, ad ea quæ cauſam proprius attingunt, ſermonem convertimus.

timus. Interim, quid Manuſcriptum Sorbonicum, cui Vetuſtas non levem conciliat authoritatem, de Romano ſentiat Pſalterio, adnotaſſe ducimus opportunum. Ita verò loquitur (zz): *Pſalterium, quod ſecundùm LXX. Interpretes in omnibus Eccleſijs cantabatur, Hieronymus correxit; quo iterum vitiato, Pſalterium novum compoſuit, quod & a LXX. Interpretum Editione non multùm diſcordaret, & cum Hebraico multum concordaret.... Hoc Pſalterium Damaſus Papa rogatu Hieronymi in Gallicanis Eccleſijs cantari inſtituit, & propter hoc Gallicanum vocatur; Romanis Pſalterium ſecundùm LXX. retinentibus ſibi; propter quod Romanum vocatur*. Eadem, quæ Sigeberti, hujuſce Manuſcripti verba ſunt, ſi ad invicem conferantur. Cui verò major antiquitas, an Sigeberto, an Sorbonico monumento tribuenda ſit, ij diſputent, quos diverſa partium ſtudia tranſverſos agitant.

LII. *Primus Pſalmorum locus Emendationis index.*

At, quoniam Pſalterij Emendationem toties ingeminavimus, aliquot hujuſce Emendationis teſtimonia ex intimis cauſæ viſceribus tandem proferamus. Primus locus proſtat verſ. 37. Pſalmi XVII. *Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ*. Ita legit Vulgata recens; eademque Hebraici Codicis lectio eſt. Secus verò habuit Græca communis Verſio, teſte Hieronymo in toties laudata Epiſtola 135. Hæc Sunniæ ac Fretelæ ex Græco Codice lectio erat: *Dediſti mihi protectionem ſalutis meæ*, non verò *ſalutis tuæ*, ſicut Hieronymus emendaverat; Nec Græci Textus ſententiam denegat Sanctus Doctor, ſed fatetur corruptam: Inquit enim: *In Græco vos legiſſe dixiſtis* Salutis meæ, *ſed in Hebræo* ישעך Salutis tuæ *ſignificat non* meæ; *quod & omnes Interpretes tranſtulere*. Si hæc Vulgata Græci Codicis lectio erat, eadem profectò & Veteris

(zz) *Triplex hoc Manuſcriptum num. 2783. citat, ac probat Martianæus, atque ex Martianæo Vallarſius in Teſtimonijs quæ ante Pſalterium Hieronymianum producit Tom. X. Veronenſ. Edition.*

teris Italæ, quæ Græco Codici optimè reſpondebat. Et hanc quidem Italæ Tranſlationis fuiſſe ſententiam, vel ex ipſo D. Auguſtini Pſalterio cognoſcimus, ſi Lovanienſem Editionem, & probatiſſimos Manuſcriptos, quorum Veronenſis Pſalterij Editor meminit, conſulamus. Quum ergo poſſeſſivum Pronomen in Romano Pſalterio immutatum habeamus, & voci *Mea* vox *Tua* fuerit ſuppoſita, haud temere licet ſuſpicari eumdem Interpretem qui Gallicanum Pſalterium inſtauravit, & Romanum inſtauraſſe: Utrobique enim par lectio.

LIII *Locus alter.* Locus alter ex hiſce Pſalmi XXI. verſ. 24. verbis derivatur: *Univerſum ſemen Iacob glorificate eum*. Verbum *glorificate* varietatis atque Emendationis indicium eſt. Novit S. Hieronymus, ac palam teſtatus eſt, Veterem Latinam Tranſlationem non *glorificate*, ſed *magnificate* præſeferre; nihilominus quia hæc verborum commutatio Latino Interpreti erat frequentior, noluit quod apud Latinos Vulgatiſſimum erat, emendare. *Sciendum*, inquit [aaa], *quod ubicumque in Græco ſcriptum eſt* glorificate, *Latinus Interpres* magnificate *tranſtulerit .... Et nos emendantes olim Pſalterium, ubicumque ſenſus idem eſt, Veterum Interpretum conſuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate Lectoris ſtudium terreremus*. Reliquit ergo vocabulum inemendatum in ea quam nominat Pſalterij caſtigatione. At quotuplex fuit Hieronymiana Pſalmorum correctio? Gemina ex ſupra datis; & geminam quidem, vel ex hoc uno Hieronymi loco admittere cogimur. In accuratiore Gallicani Pſalterij Emendatione a Vetere lectione receſſit, & *glorificate*, ut hodie legimus, tranſtulit. Alia igitur Emendatio, in qua vocem reliquit immutatam, Romanum Pſalterium apertè indicat; quoniam in Romano Pſalterio verbum *magnificate*, ad normam Veteris Tranſlationis, intactum ſupereſt. Eamdem ſervat methodum Sanctus Pater in alio Pſalmi loco

[*aaa*] *Cit. Epiſt. ad Sun., & Fretel.*

loco [bbb]: *Timentes autem Dominum magnificat*. Verbum *magnificat*, quod in poſteriore Emendatione, ſuppoſito verbo *glorificat*, expunxit, in priore Pſalterij Romani caſtigatione noluit immutare. Locum utrumque produximus, non ad probandam quidem Emendationis diuturnitatem uſumque perpetuum, qui nullo pacto ex allatis locis eruitur, ſed eo conſilio, ut majori adhuc niſu caſtigationem in genere urgeamus. Hac namque ſemel ſtatuta, & ſolidioribus firmata probationibus, major hæc ſententia juvatur commodo, nec facile poteſt ſolis conjecturis ab oppoſita impugnari. Si enim S. Pater Hieronymus Pſalterium Romanum recenſuit, atque Emendatio in Eccleſias ſemel penetravit, ut eam in deſuetudinem tandem aliquando abiiſſe quis aſſerat, tot tantaſque rationes proferat, quæ contrariis præponderent, neceſſe eſt.

LIV. *Locus alter de Emendationis diuturnitate, ac uſu.*

Juſtam quoque Emendationis ſuſpicionem ingerit locus alter Pſalmi CV. 7., cujus Vetus Latina Editio cum primis ſtatuenda, ut de nova, quam Hieronymus intulit, judicium feramus. Genuina loci verſio, ſi Græci vocabuli παρεπίκραναν literam inſpiciamus, Hieronymo, & Auguſtino teſtibus [ccc], hæc eſt: *Et amaricaverunt aſcendentes in rubrum mare*. Minus latina quidem vox illa *amaricaverunt*, ea tamen eſt quæ Græci ſermonis proprietatem preſſiùs explicat. Atque ita quidem, eodem D. Auguſtino referente, legebant Latini Codices bene multi; Ita locum interpretabantur Sunnia, & Fretela; Ita tandem juxta Hieronymum locus propriè excipiendus, ni barbaries officeret. *Putatis*, ita Getas illos alloquitur, *Verbum e verbo debere transferri*: Et amaricaverunt: *Sed hæc Interpretatio annullationi ſimilis eſt, ſive annihilationi*. Quarè a rigida nimiùm vocabuli notione ille recedens, verbum tranſtulit & *irritaverunt aſcendentes in*

K *mare*

[bbb] *Pſal. XIV. 4.*

[ccc] *D. Auguſt. enar. in hunc Pſal., D. Hier. Ep.* 135.

mare. Hæc utriuſque Pſalterij, quod Hieronymus recenſuit, lectio: Non inanis ergo ſuſpicio eſt, quæ in pari lectione parem adſtruit Emendationem.

LV. *Aliud a Romani Pſalterij ſermone ac ſtylo, argumentum.*

Novum hinc de Emendationis diuturnitate argumentum. Non obſcurus ille Verſionis Italæ character, qui miram Græca inter, atque Latina Volumina detegit conſenſionem, ac verba verbis conformia repræſentat, in Romano Pſalterio non multùm emicat. In prolixiori Epiſtolæ ad Sunniam & Fretelam contextu, multa D. Hieronymus proponit loca literalis Latinæ Interpretationis ex Græca Vulgata; Verſionem tamen illam tamquam inconcinnam nec probat, nec ſequitur; docetque, modo ſententia ac ſignificatio ſerventur, conſultum eſſe, ad barbariem evitandam, ea loquendi ratione uti, quæ linguæ, in quam fit tranſlatio, elegantiæ ac nitori magis conveniat [ddd]. Hac methodo Romanum caſtigaſſe Pſalterium duo ſuadere videntur: Alterum quòd Græci ſermonis inſuavis quædam, ac hiſpida loquutio, cujus non ſemel meminit S. Doctor, in Pſalterio Romano vix occurrat: Alterum, quòd major profecto in reliquis Pſalterijs, veluti in Auguſtiniano ac Veronenſi, cùm in vocibus, tùm in ſententijs incidat tum Græcæ linguæ idiotiſmis ac litera familiaritas, quam in Romano. Aut igitur Pſalterium noſtrum Italam neſcit; aut quæ in Verſione Veteri duriuſcula offendimus, in Romano Pſalterio Hieronymi cura emollivit, ac magiſterio adhibito, veluti cicuravit.

LVI. *Expenditur locus alter.*

Alius qui Emendationis veſtigia adhuc ſervat, celeberrimus locus, ex verſiculo ſecundo Pſalmi LXXXIX. depromitur, atque ita ex Hieronymiana Verſione deſcribitur: *A Seculo & uſque in Seculum tu es Deus*. An hæc Veteris

---

[ddd] *Prolixiorem ac eruditum hac de re ſermonem habet S. Doctor ſub ipſum Epiſt.* 135. *initium; idemque in longa literæ ſerie non ſemel repetit; noſque locum infra exſcribemus.*

Veteris Italæ fuerit lectio: An lectio eadem aſſertorem habeat Hieronymum, videndum cum primis, antequam ad Emendationem ſtatuendam accedamus. Excutias Latinos Codices quantum velis, nullibi vox illa *Deus* occurrit legenti; reſque ſalit ob oculos, ſi Pſalteria Auguſtinianum, Mediolanenſe Eccleſiæ Ambroſianæ, Germanenſe, Carnutenſe, præter Veronenſe, ac Caſſiodori, necnon Verſionem Arabicam, atque Æthyopicam percurramus. Nec ſanè poterant Latina Exemplaria ſecus legiſſe, quum in Græca Κοινὴ, ex qua Latina Tranſlatio defluxit, non alia fuerit lectio; nec aliam, Blanchino teſte, ſervet Codex Vaticanus vetuſtiſſimus æquè ac probatiſſimus. *Dicitis*, inquit S. Hieronymus, *quod in Græco non ſit Deus; quod apud illos deeſſe manifeſtum eſt.*

Quam ergo Sunnia, & Fretela objiciebant Græci textus lectionem, S. Doctor non inficiatur; addit verò eam mendoſam eſſe, ideoque Aſteriſco adhibito caſtigandam. Ita namque proſequitur: *Hebraicum habet* (Deus), *& omnes alij Interpretes, & LXX. ſimiliter tranſtulerunt.* Quibus verbis & Gallicani Pſalterij genuinam Verſionem comprobat, quam corrupta Κοινὴ Editio impetebat; & quid hac in re ſentiendum, aliorum voluminum teſtimonijs demonſtrat. Habemus ergo cùm Græcam, tùm Latinam lectionem ex una parte mendoſam: Habemus ex alia S. Patris cenſuram. Quondam igitur de Romano Pſalterio, quod Hieronymianæ Emendationi conſentit, & a communi Latinorum uſu recedit, judicium ferendum eſt? Alterutrum fateri cogimur, aut Hieronymi, aut aliena manu vocem *Deus* fuiſſe ſuperadditam; ſive, quod idem omnino eſt, Emendationem diſſimulare non poſſumus, eſto Authorem ignoremus. At ſi res ita eſt, nonne præſtat eum potius qui aliquando Pſalterium Romæ correxit, Emendatorem credere, quam alium quempiam, nec nomine, nec eruditione Hieronymo comparandum, obtrudere?

LVII. *Urgetur, & illuſtratur.*

Ne autem videamur voculis quibuſdam ludere velle, atque

LVIII. *Nova Emen-*

dationis ad HebraicosCanones conjectura.

atque univerſum Emendationis negocium uno vel altero verbo expedire, ceteris quæ minoris momenti ſunt omiſſis locis, duos ſubjicimus, qui Hieronymianam cenſuram, ad Hebraicos Canones revocatam videntur innuere. Proſtat locus uterque in Romano Pſalterio, alter Pſalm. XLVII. 10., alter Pſalm. CXXIX. 4. Lectio hodierna Emendationis uſum; Hieronymi teſtimonium ipſam comprobat Emendationem. Prior locus habet: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Conſonat Vulgata recens; congruit Hebraicus Codex; legit, atque ita legendum docet Hieronymus. Alia verò Græcæ Editionis ſententia eſt; aliaque proinde Veteris Latinæ Verſionis olim fuit lectio. Audiamus Hieronymum. *Pro eo quod nos de Hebræo & de LXX. Interpretibus vertimus* Templi tui, *in Græco vos legiſſe dicitis* Populi tui. Lectionem eamdem, quæ promiſcua olim fuit, Exemplaria ſequuntur quàmplurima, ne dicam omnia, quorum ſeriem P. Blanchinus exſcribit, obſervatque (eee) in eo tantum differre, quòd alia, *Populi tui* legant, alia *Plebis tuæ*, voce ſynonima. Nec diſſentit Ambroſianæ Eccleſiæ Pſalterium; etſi D. Ambroſius Hieronymo coævus, hunc explicans Pſalmum, huic ſeſe componat lectioni, *Templi tui*. Romanum ergo Pſalterium, reliquis diſſimile, Gallicano conforme, Hebraicæ veritati reſpondens, & Hieronymi Emendationem & Hebraicam literam exprimit. Quis verò Latinos Codices ad Hebraicos fontes exegit niſi Hieronymus?

LIX. *Confirmatur ex alio Pſalmi verſiculo.*

Eadem in altero Pſalmi loco Emendationis ratio. *Propter* legem tuam *ſuſtinui te, Domine*; ita Vaticana canit Baſilica: at Græci vetereſque Latini cantabant, *Propter* nomen tuum *ſuſtinui te, Domine*. Romana lectio Gallicanæ conſonat; utraque Hebraico Textui reſpondet. Iterum audiendus Hieronymus: *Dicitis vos* [Sunniam & Fretelam alloquitur] *in Græco inveniſſe*, Propter nomen

[eee] *Explicans hunc Pſalmi locum in Veronenſi Pſalt.*

Digitized by Google

nomen tuum; *& nos confitemur plura Exemplaria ſic reperiri. Sed quia veritati ſtudemus, quid in Hebræo ſit ſimpliciter debemus dicere. Pro* nomine, *ſive* lege *apud eos legitur Thura* תירא, *quod Aquila interpretatus eſt* φόβον, *timor; Symmachus & Theodotion* νόμον, *ideſt legem, putantes Thora* תורה *propter Literarum ſimilitudinem Iod* י, *& Vau* ו, *quæ tantùm magnitudine diſtinguitur*. Novimus D. Hilarium hac uti lectione: *Propter* legem tuam *ſuſtinui te, Domine*; An verò ante Hieronymum eadem in Romano obtinuerit Verſio, ignoramus. Plura Exemplaria ſecus habuiſſe teſtatur S. Pater; atque inter hæc plura Exemplaria Pſalterium Romanum, quod ille & noſſe, & conſuluiſſe debuit, comprehendiſſe, credere par eſt. Cum ergo in ferè communi Codicum depravatione lectionem Hieronymianæ Emendationi conformem Romani ſervaverint, ſi quis eam Hieronymo acceptam referat, gratis omnino non aſſerere non videtur.

LX. *Suadetur Exemplis.*

Poſtremo hanc juvat ſententiam duplex conjectura, alia ab inductione, alia a Hieronymi ſtylo ac ſermone petita. Inductio ex multis, quæ afferri poſſunt Emendationis exemplis, coaleſcit. Κοινὴν ſæpius caſtigatam fuiſſe, atque correctionis veſtigia in Hexaplis Origenianis perſtitiſſe, ſupra demonſtravimus: Ambroſianum Pſalterium, quod hodie in uſu eſt, ſequiori ætate leviori ſaltem manu fuiſſe expolitum ideo ſuſpicari poſſumus, quod cum Pſalmis a D. Ambroſio propoſitis omnino non conveniat; & quod caput eſt, non ſemel ad Vulgatam Pſalmorum Verſionem ſeſe componat. De Africano Pſalterio D. Auguſtini cura expurgato aperte loquitur ipſemet Auguſtinus, Hieronymi curarum hac in parte ſi non Æmulus, ſaltem imitator. *Nos autem*, inquit [fff], *non interpretati ſumus* (ut Hieronymus) *ſed Codicum Latinorum nonnullas mendoſitates ex Græcis Exemplaribus emendavimus. Unde fortaſſis fecerimus aliquid commodius*

[fff] *Epiſt.* 261. *ad Audacem*.

modius quam erat, non tamen tale quale eſſe debebat. Nam etiam nunc, quæ fortè nos tunc præterierunt, ſi legentes moverint, collatis Codicibus emendamus. Quid verò repugnat, ſi parem Emendationis diuturnitatem in Romana Eccleſia conſtituamus? Repugnat potius, ſi Romanum Pſalterium dicamus inemendatum. Κοινὴ Editio, ex qua tamquam ex fonte illud promanaverat, ab Origene primævo nitori reddita fuerat, ſublatis erroribus: Præpoſterum ergo erat rivum impurum defluere, atque ab illimi & ſincero fonte deſciſcere.

LXI. *Aliqua Hieronymiani ſermonis in Rom. Pſalterio veſtigia.*

Quo ad ſtylum Hieronymianum, non obſcura in Romano Pſalterio ſuperſunt adhuc veſtigia. Omittimus quæ non infrequentem Romanum inter, & Gallicanum Pſalterium probant conſenſionem, qua majorem in ceteris Verſionibus numquam invenias. Illud verò diſſimulare non poſſumus, eam ſcilicet loquendi rationem aſperiorem minuſque latinam, quæ Italæ Verſioni familiaris fuit, in Romano Pſalterio minus frequenter occurrere. Quis autem hiſpidum ſermonem emollivit, excepto Hieronymo? Hic enim a rigidiori illa Interpretatione, quæ literæ cortici nimirum adhæret, recedens, monet, ac in Epiſtolæ ad Sunniam ac Fretelam contextu ſæpius repetit *torquendum non eſſe ingenium inpolita verborum Interpretatione, quum damnum non ſit in ſenſibus, quia unaquæque lingua ſuis proprietatibus loquitur* [ggg]. Habemus in Romano Pſalterio quædam politioris ſermonis lineamenta: An hæc Hieronymum Authorem referant, ille decernat qui Maximi Doctoris linguam, ac ſtylum habet perſpectum.

LXII. *Impugnatur Emendatio, & Pſalmorum loci, qui favere videntur, explicantur.*

Hæc ſunt, quæ pro Romani Pſalterij Emendatione militant argumenta; quibus, adverſa opinio alia habet, eaque non levia, quæ opponat. Ipſa cum primis locorum copia, quam in corrupta Vetere Verſione ſugillat Hiero-

[ggg] *Verba ſunt S. Doctoris ad Verſ. 20. Pſal. XLIX. in Epiſt. toties laudata ad Sun. & Fretel.*

Hieronymus, proſtat in Romano Pſalterio; neque ulla Emendationis, quam S. Doctor ad Sunniam & Fretelam ſcribens, adſtruit, offendimus veſtigia, quæ ab una Hieronymiana caſtigatione ſint repetenda. Qui enim afferuntur loci, alicui ex Vetuſtis Exemplaribus, aut monumentis, quæ cum Hieronymi Emendatione nihil commune habent, reſpondent; ut de D. Hilarij, ac Ambroſij Pſalterio, ad reſponſionem præoccupandam ſupra adnotatum eſt. Nullus verò, qui citra controverſiam ſolum Hieronymum habeat Emendatorem, produci poteſt. Verum quidem eſt Hieronymum Romæ commorantem *curſim* emendaſſe Pſalterium; Emendavit tamen, *& magna ex parte* correxit. At, amabo, quænam hujuſce Emendationis exempla proferuntur; non dicam ſexcenta, ſed ne decem quidem, imo nec quatuor? Quæ enim ſupra allata ſunt teſtimonia, trahuntur invita; ac nonniſi levioribus fulciuntur conjecturis. Quamvis, etſi locus aliquis tandem eruatur, quid inde? In pene immenſa errorum illuvie, unum vel alterum Emendationis exemplum cauſam nihil juvat.

LXIII. *Hieronymi authoritas Emendationis uſum excludit.*

Conſonat D. Hieronymi authoritas. Poſtquam ille Emendationis quam Romæ inſtituerat, meminit in Præfatione ad Paulam & Euſtochium, non diſſimulat Romanos ad Veterem lectionem veluti poſtliminio reverſos; *pluſque antiquos errores, quam novam Emendationem invaluiſſe*. Jam ergo prior caſtigatio ab Eccleſiis, uſuque receſſerat; ex quo veluti adactus eſt ad novam caſtigationem animum vireſque convertere; quam tandem perfecit ea cura, ac ſedulitate, ut Obelis & Aſteriſcis adhibitis, opportunè proſpexerit ne in poſterum aut novis, aut vetuſtis erroribus ullus ſupereſſet locus. Qua occaſione novam adorſus eſt Emendationem, nuſquam alterius meminit, quam Romæ adornaverat. Id tacet etiam in prolixiore illa ad Sunniam & Fretelam Epiſtola; loquuturus tamen, ſive ut quæ incurioſe calamo neglexerat, incudi ſubjiceret; ſive ut quæ prudens caſtigaverat

ab

ab aliena cenſura vindicaret. Quod indicio eſt non obſcuro, eam omnino deperditam.

LXIV. *Argumentum a Veterum Scriptorum authoritate petitum retorquetur.*

Nec aliud ſanè ex Veteribus monumentis eruitur. Quæ enim producta ſunt, oppoſitam ſententiam deſtruunt potius quam juvent. Augienſis Berno Pſalterium Romanum ad corruptam Vulgatam revocat; erat igitur inemendatum. Vvalafridus, & Sigebertus Pſalterium Romanis tribuunt Græcæ Verſioni conforme: Erat ergo, non ſecus ac Græci Codices, mendis aſperſum. Si qua Romani Pſalterij pars, curante Hieronymo, a Græca lectione receſſiſſet, equidem meminiſſent Scriptores illi: Nec tacet Sigebertus, Pſalterium a Hieronymo correctum *iterum* fuiſſe *vitiatum*, hoc eſt nova Emendatione poſthabita, priores mendas in uſum fuiſſe revocatas.

LXV. *Aliud a Romani Pſalterij nomine, ſolvitur.*

Pſalterij Romani nomen ab inſtitutione ac uſu fluxiſſe non inficiamur; at reponimus, uſu ſublato, ſolum nudumque nomen permanſiſſe. Ea Pſalmorum Verſio, quam priſci Scriptores Romanis familiarem dixere, poteſt & ad alios extra Romanorum cætum facile extendi. Neque enim novum aut inauditum eſt, ut mos quidam, vel Sacer ritus ab ipſa ſui origine re ac nomine Romanus, eodem ſervato nomine, apud alios ne dum extra Urbem, ſed & extra Italiæ fines invaluerit.

LXVI. *Tripartiti Pſalterij Exemplaria diverſos Authores indicant.*

Tripartiti Pſalterij exemplaria, quæ jactantur, varias quidem Pſalmorum Verſiones indicant, at unum eumdemque Authorem profecto non probant. Triplici columna diſtribuuntur, ut in quo differant, in quo conveniant, pateat ad oculum; non ſecus ac in Origenis Hexaplis, imo & Octaplis, diſſimiles Verſiones erant diſpoſitæ, ut ex diſpari Verſionum tenore, Interpretum numerus, ac diverſa ſtudia dignoſcerentur. Si alterutrius Pſalterij, Romani & Gallicani cura Hieronymum tangeret, id monumenta vetuſta ingrato ſilentio nequaquam premerent. Ajunt D. Hieronymum ſuam in Gallicano Pſalterio operam poſuiſſe; tacent de Romano. Nulla ergo Hieronymiani laboris pars in Romano Pſalterio, quale hodie circumfertur, reliqua eſt. Quod-

Quodque urget magis, atque oppoſitum ſyſtema ad ſcopulum veluti impingit, eſt ſplendidum quoddam monumentum, non aliunde quæſitum, ſed e noſtris erutum Scrinijs, hoc eſt e celeberrima Vaticana Bibliotheca. Quoniam plurimo huic ſententiæ præſidio illud eſt, hinc paulo accuratiùs elucidandum. Servatur in memorata Bibliotheca Codex Palatinus, qui Gallicanum Pſalterium in membrana deſcriptum exhibet accuratiſſimum. Codicis, qui num. 39. deſignatur, ſumma Vetuſtas; non enim IX., aut X. Seculo recentior eſt, quum in ſerie Pontificum, quam Pſalmis præmittit, poſtremi numerentur Leo, Stephanus, atque Paſchalis, quorum primus ad VIII. Seculi finem, reliqui ad IX. initia revocantur. LXVII. *Novum pro hac ſententia a Veteri monumento argumentum.*

Huic Codici Pagina quædam aſſuitur extranea, hoc eſt aliunde collecta, grandioris Voluminis lacinia, nec ipſo, cui inſeritur, Codice fortaſſe recentior, aut pretio minor. Quadripartitum Pſalterium, ſive quadruplicem Pſalmorum Verſionem totidem columnis diſtributam, orditur: Orditur, inquam; quandoquidem Paginæ anguſtia nonniſi unum vel alterum prioris Pſalmi verſiculum repræſentat. Præmittuntur enim aliquot Hexametri, quibus Pſalterij multiplicis origo atque uſus explicatur. Prior columna [quartam carmina appellant, ducto nimirum a Græco Textu ſupputationis initio] Pſalterio Gallicano; ſecunda Romano; tertia Latino ex Hebraica veritate; quarta Græco latinis literis reddito, deſcribendis fuit conſtituta. Latinum ex Hebraico, ſicut & Gallicanum emendatum accuratiſſimè, Hieronymo adſcribitur: De Romano altum ſilentium: Affirmat tamen corruptum, & in quo juxta Hieronymianam cenſuram multa reprehendas. Etſi verò Hieronymianam Romani Pſalterij Emendationem, ſive Emendationis uſum apertè non excludat, id tamen a poſteriori non obſcurè colligitur. Ait carminum Author, in Pſalterio illo quadripartito varios *Authorum ſenſus* contineri; monet Lectorem, ne in poſterum ad alias Verſiones divertat, LXVIII. *Pagina Palatino Codici inſerta, deſcribitur.*

 quum

quum *veridica Authorum dogmata* habeat ob oculos: Non unus ergo Pſalterij multiplicis ſive Author, ſive Emendator. At, ſi ubique occupatum dicamus Hieronymum, jam nulli, præter Hieronymum, Opus tribuendum; jam nullus, præter Hieronymum, Author nominandus. Eſt igitur aliqua Pſalmorum Verſio, quæ nihil Hieronymiano debeat ingenio. At quænam illa? Non Gallicana quidem; non alia ex Hebraico derivata; utraque enim citra controverſiam Hieronymi fætus eſt: Supereſt Romana; atque hæc ſane una eſt quæ neſciat Hieronymum.

LXIX. *Vallaſij lapſus.* Hanc quam deſcripſimus Paginam, a Codice cui illa commiſcetur, Vallarſius non diſtinguit, etſi Palatinus Codex, ad genuinam Gallicani Pſalterij lectionem eruendam Vallarſio fuerit familiariſſimus. Diſtinguendam tamen, ac latiſſimè ſcernendam multa probant, maximè verò materiæ de qua agit, characteris quo ſignatur, menſuræ, quæ brevior eſt, diſſimilitudo. Et, ſi cetera deeſſent, res conſtat experimento; jam enim attentiùs inſpicienti, ex plicatura futuraque Paginæ, eam adſcitam eſſe patet ad oculum. Id tamen, quia Codicem fortaſſe non vidit, Vir alioquin accuratiſſimus non advertit, omnem tranſmiſſo Exemplari adhibens fidem. Hæc non ad alienam cenſuram, ſed ad rei veritatem oportuit præmonuiſſe. Jam verò ipſius Paginæ Exemplar exſcribamus.

EXEM-

EXEMPLAR

PAGINÆ PALATINO CODICI INSERTÆ.

*Perſcriptum * veraciſſime ſecundum Hieronymum ſcias hoc eſſe Pſalterium, quod correctum ſecundum Septuaginta* Romæ *tranſmiſit.*

* Perſcriptor *Vallarſius legit, ſed perperam. L. Romam.*

. . . .
. . . .
. . . .

Verſus anteriores hic qui deſunt, mea perditi ſunt negligentia.

. . . .
. . . .

Quos ſibi Pontifices legit conſtantia dives,
Præſul & Abba ſimul meritis electus opimis,
Scriptores cauta varios indagine luſtrat.
Hoc eſt Pſalterium docte collegit in unum,
Prudens *lectori ſtudioſo mente ſagaci*
Auctorum ſenſus vario ſermone ſecretos.
Pagina bis binis loquitur nam quæque columnis
Quæ ſtylus hebraico veriſſima fonte refundat,
Hieronymo hæc referante quidem ſermone latino;
Græcus & hic proprie ſenſus ac ſermo pateſcit,
Literulis noſtris noſtroque charactere ſcriptus,
Quem tamen ex græco verſum ſermone latino
Quem dixi ſupra retinet quoque pagina ſcripta;
Eccleſia hæc etiam jugiter Romana frequentat,
Editio communis & hæc vulgataque fertur;
Ex quibus hebraicæ interpres linguæ venerandus,
Ut reprobanda notat, nec non retinenda figurat.
Sed tamen hæc quarta tranſlatio ſcripta columna
Eſt quam præfatus bene LXX. *ſecutus*

Prodens, *fortaſſe.*

Digitized by Google

Ex græco in linguam transferre fideliter iſtam
Hieronymus ſtuduit, totaque fide reſeravit.
Hanc etiam populi pſallunt Orientis, & iſti
Gallia quos genuit, quos & Septentrio gignit.
Quadruplicem ergo precor caute nunc inſpice lector
Pſalterij formam vario ſermone coactam,
Amplius & noli quovis paradigmate falli,
Veridica ante oculos auctorum dogmata cernens.
Prima quidem ſupra folio deſcripta columna,
Quæ recitant Galli, retinet ſermone fideli:
Horum Hieronymo ceu dixi interprete fido.*
Hac quidquid cete *diſcordat ab editione,*
Hoc & ab hebraico pariter diſtare memento.
Sed vulgata tenet minus & correcta ſecunda:
Hæc & Romani pſallunt Italique frequentant.
Tertia ſed vere hebraico tranſlata magiſtro
Continet, & nobis melius hæc omnia pandet. (L. Certe.)
Utimo *nam græco proprie ſermone notata,* (L. Ultima.)
Quæ minus, ut dixi cum ſint vulgata, probamus.

* Ut dixi *corrigit Vallarſius contra Textus Veritatem, ac metri rationem.*

Exemplar quadripartiti Pſalterij

	Beatus Vir qui non abijt in conſilio impiorum	*Beatus Vir qui non abijt in conſilio impiorum*	*Beatus Vir qui non abijt in conſilio impiorum*	*Macharios anir os uc epi reutbi en buli aſebon*
Spatium hoc intermedium alteram verſiculi partem deeſſe indicat.	*Et in catbedra peſtilentiae non ſedit*	*Et in catbedra peſtilentiae non ſedit*	*Et in Catbedra deriſorum non ſedit*	*Ce epi catbedra limon uc exatbiſen*

Quæ

Quæ utrique ſententiæ favere poſſunt, congeſſimus argumenta, ex quibus quænam præponderent noſtrum non eſt definire. At, quoniam litem dirimere nobis non datur, audaciores non videbimur, ſi ad eam componendam aliquid proferamus. Huic concordiæ ineundæ expeditior fortaſſe erit via, ſi Romanum Pſalterium a Hieronymo caſtigatum, a Clero Romano decantatum aliquando, admittamus; ita tamen ut perpetuus non fuerit Hieronymianæ caſtigationis uſus, quem Veteris Pſalterij inolita conſuetudo tandem immutavit. Rediit ergo in Urbis Eccleſias cum Veteri Pſalmodia vetus error; aliqua tamen recentis Emendationis ſuperfuere teſtimonia. Qua ferme ratione in Gallicano Pſalterio, quod Hieronymus emendavit accuratiſſime, nonnulla occurrunt Italæ Verſionis indicia, non ab Emendatoris oſcitantia, ſed a conſuetudine, quæ cenſorio Hieronymi calamo prævaluit, repetenda. Hoc autem ſemel ſtatuto, utraque ſententia habet in quo conveniat, atque alteri ſocietur. De Emendatione, atque Emendationis uſu nemo fere dubitat: Tota de uſus diuturnitate agitatur lis. Demus Veterem corruptamque Verſionem Romæ iterum obtinuiſſe: Demus loca quædam Pſalmorum, etſi rariora, Hieronymianam Emendationem ſervaſſe; jam utraque opinio habet unde ſibi plaudat; habet unde doleat. LXX. *Ratio quadam ad opiniones conciliandas proponitur.*

Prior quidem, de aliquot Emendationis indiciis, quæ etſi rariora occurrant, occurrunt tamen, ſibi gratulatur; at longè plura corruptionis teſtimonia ſupereſſe iniquo fert animo. Poſterior, mendas eaſdem, quas Hieronymus reprehendit, oſtentat innumeras; quia verò nonnulla offendit, quæ Hieronymianæ correctioni videntur convenire, dubia hæret & anxia, ſuperſit nec ne aliquod Hieronymianæ cenſuræ monumentum. Si una alteri opinio aliquid concedat, atque in rarioribus quibuſdam Hieronymiani laboris indiciis, quæ reliqua adhuc ſunt, utraque conveniat, non multùm commodi uni accedit ſententiæ, non multùm compendij decedit alteri. LXXI. *Urgetur, & explicatur.*

Ver-

Verbo: Partium diſſidia componuntur; atque altera alterius depoſcit opem, & conjurat amicè. Si hæc ad litem dirimendam ratio minus arrideat, alia quæ potior ſit, producatur; non enim quæ noſtra ſunt, ſed quæ veritati magis conformia, ea nobis probantur.

III.

I. *Romani Pſalterij uſus latè protenſus.*

DE Romani Pſalterij origine atque uſu in Urbis Eccleſijs egimus adhuc; ſupereſt ut ad variam illius fortunam extra Urbis fines, quæ poſtrema Diſſertationis pars eſt, ſermonem convertamus. Eumdem pſallendi ritum qui Romæ ſolemnis erat, ad univerſam Italiam fuiſſe protenſum, conſtans opinio eſt; nec aliud res ipſa monet, ac ratio ſuadet. Tantus erat in principem Eccleſiam honos, ac veneratio, ut quod illi erat in moribus, ceteris exemplo eſſet ac imitationi. Quod igitur Romanis peculiare erat Pſalterium, brevì in commune evaſit; quamvis, ſive id ex privato Eccleſiarum ritu, ſive ex oſcitantia aut arbitrio ſcribentium contigerit, in ipſis Pſalterij Exemplaribus, aliqua, etſi levior ac minimi facienda, interceſſit diſſimilitudo. Ne dum ad Italos, ſed ad Gallos, Hiſpanos, imo & ad Germanos uſque Romanum Pſalterium producit V. Cardinalis Thomaſius (a), ea ratione potiſſimùm, quod Patres ac Concilia in exteris illis Regionibus, quum Pſalmorum ſententias vel explicant, vel citant, ea utantur Verſione, quæ ad Romanam accedit quammaximè. Hanc Thomaſij conjecturam nec univerſim probare, nec univerſim refellere audemus; quandoquidem poſt D. Hieronymi ætatem tam varia & anceps occurrit Pſalmorum Verſio, ut ex ea nihil certi, præcipuè extra Italiæ fines, liceat inferre.

II. *Hieronymianæ Vulgatæ,*

Jam tum ab ævo Hieronymiano nedum vigebat in Urbe Roma peculiare Pſalterium, ſed & aliud circumfere-

(a) *Præfat. in duplex Pſalter. Roman. & Gallican.*

ferebatur, quod poſtremis curis emendatum, ad Paulam & Euſtochium Romanas Matronas ille tranſmiſerat. Utrumque Pſalterium multo erat in pretio: Alterum, hoc eſt Romanum, quia Sacro Eccleſiarum ritu conſecratum; Alterum, quod deinde Gallicanum dictum eſt, quia priore accuratius. Quæ igitur Veteris Latinæ Vulgatæ, eadem ferè & Romani Pſalterij fortuna fuit. Hieronymo adhuc ſuperſtite, nova Scripturarum Verſio, quam ex Hebraico excuderat, multo ſtudio ac labore conquiſita fuit (b); atque vel e diſſitis Regionibus Amanuenſes miſſi, qui illam exſcriberent [c]. Hieronymo vita functo, majus Operi decus acceſſit. Plurimus quidem Italæ Verſionis, ideoque & Romani Pſalterij, quod Italæ partem eſſe ſupra probavimus, erat uſus; Is tamen non erat, qui recentem Hieronymi Vulgatam expungeret. Utrique Verſioni ſua erat laus; Veteri longè major; Novæ atque Hieronymianæ non mediocris, eſto ejus pretium nondum omnibus eſſet exploratum. Succeſſu temporis Hieronymiani Operis hac illac jacta ſemina in dies ſuccreſcebant; tandemque in meſſem uberrimam excreverunt. Quò major recenti Vulgatæ accedebat honos, eò minor vetuſtæ Verſionis erat uſus; reſque brevì eò pervenit, ut pari haberetur in honore utraque Verſio: tandemque, Itala poſthabita, Hieronymiana Interpretatio prævaluerit. Quod de gemina Verſione, idem de gemino Pſalterio, Romano & Gallicano, eſto judicium.

ac Gallicani Pſalterij initia, & progreſſus.

Quinto

---

[b] *De uſu Hieronymianæ Vulgatæ ſtatim ac illa prodijt, hoc eſt ſub V. Seculi initia, ne ipſis quidem D. Auguſtini Operibus exceptis, e quibus nonnullos producit locos, plura habet Martianæus Proleg. II. in Divin. Biblioth. S. Hieron. num. 2., & 3.*

[c] *De Notarijs ad exſcribendam nuperam Scripturarum Verſionem Hieronymi cura elucubratam, miſſis, teſtis eſt locupletiſſimus ipſe Hieronymus in ſua Epiſtola ad Lucinium Bæticum.*

Digitized by Google

III. *Nonnulla Hieronymiani Operis apud V. Seculi Scriptores veſtigia.* Quinto Eccleſiæ Seculo nonnulla, cùm Recentis Vulgatæ, tum Gallicani Pſalterij ſuppetunt indicia. Joannes Caſſianus (d) Hebraicam lectionem producit, quam, niſi Ducem habuiſſet Hieronymum, nec forte noſſet, nec umquam protuliſſet. Hoc eodem Seculo variam in Pſalmorum locis producendis rationem ſervat S. Benedictus Clariſſimi Ordinis Inſtitutor. Conſulantur Regulæ, quas ille pro ſuis Monachis edidit; jamque utraque Pſalterij Verſio, Gallicana ſcilicet, ac Romana incurret in oculos:

IV. *Plura adhuc VI. Eccleſiæ Seculo.* Nonnulla ex utraque Pſalterij, Romani, atque Gallicani lectione mutuatur loca Sanctus Gregorius Turonenſis, qui VI. Eccleſiæ Seculo claruit. Sobrius quidem eſt in ejus Operibus Gallicani Pſalterij uſus; aliquis tamen eſt, nec perpetuus, quandoquidem Pſalterium illud, quod anticipato nomine Gallicanum toties diximus, nondum in Gallias fuerat delatum. Seculo eodem, ac Turonenſi Gregorio coævus vixit Aurelius Caſſiodorus. Nulla Romani vel Gallicani Pſalterij veſtigia in Caſſiodoro deprehendimus; Ipſe tamen cauſam aperit, cur utraque illa Verſione numquam utatur (e). Propoſuerat ſibi Auguſtinianum Pſalterium commentarijs illuſtrare; hinc ad alias Interpretationes nec animum, nec ſtylum convertit. Meminit tamen, multaque cum laude meminit curarum Hieronymi circa Pſalterium. Cumque Auguſtiniano Pſalterio addictus, non potuerit ex Hieronymiano verba depromere, ex eo interpunctionem ſelegit, atque in Pſalmis per colos, & commata diſtinguendis,

---

[d] *Io: Caſſian. Collat.* 8. *Cap. X. locum Geneſ. III.* 1. *ita legit: Serpens autem erat* Sapientior. *ſive ut Hebraici exprimunt libri*, Callidior *cunctis beſtijs terræ, quas fecerat Dominus Deus*.

[e] *Caſſiodorus Præfat. in D. Auguſtini Pſalterium quod commentarijs illuſtrat, fatetur ſe Verſionem illam ſuſcepiſſe illuſtrandam, ideoque a S. Doctoris litera recedere nequaquam poſſe*.

guendis, eam, quam S. Doctor invexerat, rationem ac methodum ſequutus eſt [f].

V. *Veteris ac novæ Vulgatæ uſus D. Gregorij ætate promiſcuus.*

Promiſcuus utriuſque Pſalterij uſus in Operibus D. Gregorij Pontificis cognomento Magni, qui VI. deſinente Seculo, & VII. inchoante claruit, elucet magis. Res patet exemplis, ac ratione comprobatur. Tanti Pontificis ævo utraque ſcripturarum Verſio pari erat in pretio; nec privatorum ingenia dumtaxat, ſed Romana Eccleſia, ipſaque Apoſtolica Sedes utraque Interpretatione, ſine ullo diſcrimine utebatur. Morem hunc non introduxit Gregorius, ſed confirmavit; & quam antiquiores Pontifices ſtraverant viam ipſe calcavit. Audiendum hac in re ſplendidum Magni Gregorij teſtimonium [g]: *Novam Editionem diſſero*, inquit; *ſed cum probationis cauſſa exigit, nunc Novam, nunc Veterem per teſtimonia aſſumo; ut, quia Sedes Apoſtolica, cui Authore Deo præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudij ex utraque fulciatur*. Quod verbis exprimit, opere exequitur S. Pontifex; atque in Moralium libris quamplurima ex utroque Pſalterio deſumpta congerit loca, quæ Veteris ac recentis Vulgatæ uſum commendant (h).

VI. *Aliqua Gallicani Pſalterij veſtigia in Gregoriano Antiphonario.*

Nullibi verò quid de utroque Pſalterio ſenſerit melius clariuſque aperit, quam in celeberrimo illo Antiphonario, quem S. Pater aut primus inſtituit, aut novis quibuſdam additis digeſſit, recenſuit, ac meliori methodo coordinavit. Conſtat liber hic ut plurimum Pſalmorum ſententijs, quas in Sacro Miſſarum Ordine attexit,

 quaſ-

---

[f] *Multa, Emendatione digna, quo ad verſuum numeros ac interpunctionem in Auguſtiniano Pſalterio occurriſſe obſervat Martianæus Proleg. 2. in Divin. Biblioth. D. Hieron. num. 3.*

[g] *Epiſt. ad Leandrum, quæ Moralium lib. præfigitur.*

[h] *Quæ Romano Pſalterio conſonant loca ſelegit ex libris moral. Lucas Holſten. atque in unum collecta exhibet Suareſius in Coroll. de Rom. Pſalt. pag. 84. & ſeqq.*

quaſque veluti per manus ſibi traditas, ſumma cura Eccleſia ſervavit, atque in Miſſalibus relatas, numquam interrupta temporum ſerie, ad nos uſque tranſmiſit. Non inficiamur in hoc Opere ferè perpetuum eſſe Romani Pſalterij uſum; verùm & illud diſſimulare non poſſumus nonnulla aliquando produci, quæ purum putumque Gallicanum Pſalterium referunt. Quodque mirandum magis, non ſemel una eademque Pſalmi ſententia repetita, modo ad Romanum, modo ad Gallicanum Pſalterium accedit. Ne Amanuenſium, aut Typographorum errorem quis nobis obtrudat, Schema ſubjicimus, in quo Gallicani Pſalterij uſus pateat legenti, atque ex probatiſſimis Gregoriani Antiphonarij Editionibus confirmetur. Quam proponimus lectionem, ne dum ad Maurinam, & Pariſienſem an. 1675. Operum S. Gregorij Editionem exegimus, ſed inſuper cum ipſomet Antiphonario, quem omnium accuratiſſimum vulgavit Pamelius, contulimus. Mendas igitur, niſi omnes deceptos dicamus, ſuſpicari non poſſumus.

VII. *Varia Codicum lectio non officit.*

Non inficiamur alia proferri poſſe Antiphonarij Gregoriani Exemplaria, quæ Romano Pſalterio quam ſimillima ſint, in ijs etiam locis, quos in altero Schemate modò exſcribemus. Novimus hanc Codicum pugnam; nec cui major debeatur authoritas certò novimus. Duo tamen ſunt, quæ in tanta Voluminum diſcrepantia, noſtræ huic cauſæ non levi præſidio eſſe arbitramur. Alterum ex majori Codicum numero petitur; alterum ex multorum Voluminum conſenſione. Inter Antiphonarij Gregoriani Exemplaria duo præ ceteris occurrunt vetuſtate, atque adeo authoritate præſtantia; unum a V. Cardinali Thomaſio [i]; aliud a Viro Clar. Dominico Georgi nuper

[i] *Venerabilis Cardinalis Thomaſij Antiphonarius ſummæ antiquitatis, cui alia Vetuſtiſſima monumenta Vir eximius appoſuit, ut ex Præfatione colligitur, prodijt e Romanis Typis an. 1691.*

nuper editum [K]. Codex uterque in locis hîc ſubjiciendis aliquando cum Romani, aliquando cum Gallicani Pſalterij Verſione componitur; nonnumquam etiam ad invicem diſcrepat, atque in diſſimilem lectionem diſtrahitur. Qua parte favet Romanæ Verſioni cauſam non dirimit, ſed dubiam relinquit: Alia enim nobis præſto ſunt Exemplaria, quæ opponamus. Qua verò Gallicano Pſalterio adhæret, cauſam conficit, nobiſque adjudicat; jam enim ex pari monumentorum conſenſione, quamnam Verſionem D. Gregorius ſelegerit manifeſtè cognoſcimus. Quod ſi ex gemino illo Codice faveat unus, repugnet alter, adhuc de cauſæ victoria non levem fiduciam, ex monumentorum numero atque authoritate concipimus.

[k] *Gregorianus Antiphonarius, quem Eruditiſſimus noſtræ ætatis Scriptor Dominicus Georgij, Sanctiſſimi Domini* BENEDICTI XIV. *Sacellanus protulit, in ejus Opere* de Liturgia Romanorum Pontificum *impreſſus legitur a Pagina* 441. *ad alias quamplurimas. Codicis Vetuſtatem indubiam reddit Subſcriptio, quæ in fine additur; ex qua illum Seculo XI., hoc eſt anno* 1071. *fuiſſe exaratum apertè docemur. Subſcriptionis Exemplar ad calcem editi Antiphonarij pag.* 528. *collocatur.*

SCHEMA SECUNDUM

In quo Pſalmorum loca, quæ D. Gregorius ſuo Antiphonario, juxta Gallicani Pſalterij Verſionem inſeruit, exhibentur.

	ANTIPHON. S. GREGORII.	PSALT. GALLIC.	PSALT. ROM.
Pſal. ad Introit. Dom. 1. Advent.	Vias tuas, Domine, *demonſtra* mihi (a).	Vias tuas, Domine, *demonſtra* mihi.	Vias tuas Domine, *notas fac* mihi.
Pſal. ad Introit. fer. 6. quatuor. temp. Advent.	Prope es tu, Domine, & *omnes viæ tuæ* veritas (b).	Prope es tu, Domine, & *omnes viæ tuæ* veritas.	Prope &c. & *omnia mandata tua* veritas.
Pſal. in Vig. Nativit. Domini ad Introit.	Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & univerſi, qui habitant *in eo* (c).	Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & univerſi, qui habitant *in eo*.	Dñi eſt terra &c. & univerſi, qui habitant *in ea*.

[a] Demonſtra mihi; *ita legit Thomaſius*; notas fac mihi, *ita legit Georgius, unuſquiſque in eo quem edidit Antiphonario. Poſteriorem Lectionem Romano Pſalterio conformem ſequitur Miſſale Vallicellanum ab eodem Thomaſio indicatum.*

[b] *Omnes* Viæ tuæ *veritas. Conſonant Codices omnes in hac Gallicani Pſalterij Verſione.*

[c] *In* ea *cum Romano Pſalterio legit Thomaſij Codex. Verba hæc in Georgiano Antiphonario, qui ſolum Verſiculi initium exſcribit, omittuntur.*

Digitized by Google

	ANTIPHON. S. GREGORII.	PSALT. GALLIC.	PSALT. ROM.
Pſal. ad Introit. Miſſæ Nativit. Domini in Aurora.	Dominus regnavit decorem *indutus eſt*; *indutus eſt* Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe *virtute* (d).	Dominus regnavit, decorem *indutus eſt*; *indutus eſt* Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.	Dominus regnavit, decorem *induit*; *induit* Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe *virtutem*.
Fer. IV. Ciner. in Tract.	Ne memineris *iniquitatum noſtrarum antiquarum*, citò *anticipent nos miſericordiæ tuæ* (e), quia pauperes facti ſumus nimis. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter *gloriam* (f) nominis tui Domine libera nos.	Ne memineris *iniquitatum noſtrarum antiquarum*, citò *anticipent nos miſericordiæ tuæ*, quia pauperes facti ſumus nimis. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter *gloriam* nominis tui Domine libera nos.	Ne memineris *iniquitates noſtras antiquas*, citò *nos anticipet miſericordia tua*, quia pauperes &c. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter *honorem* nominis &c.

[d] *Non hanc Gallicani, ſed aliam Pſalterij Romani lectionem exhibet Thomaſianus Antiphonarius. Variat in poſtrema Verſiculi voce; non enim legit* Virtutem, *cum Pſalterio Romano, ſed* Virtute; *atque hanc quidem lectionem recentia ſervant Miſſalia.*

[e] *Prima Verſiculi pars*: Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, *eadem plane eſt in Gallicano Pſalterio, ac Thomaſij Antiphonario; altera vero*, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ *varia occurrit pro Codicum varietate*. Anticipet nos miſericordia tua *in ſingulari numero habet Thomaſius; qui tamen aliam in margine citat lectionem numero multitudinis, ac Gallicano Pſalterio reſpondentem. Nihil de hoc verſiculo in Georgij Antiphonario.*

Digitized by Google

	Antiphon. S. Gregorii.	Psalt. Gallic.	Psalt. Rom.
Ad Gradual. Fer. V. poſt Dominic. I. Quadr.	Oculi *tui* [g] videant æquitatem.	Oculi *tui* videant æquitatem.	Oculi *mei* videant æquitatem.
Offert. ad Fer. VI. poſt Dom. II. Quadrageſ.	Confundantur. & revereantur [h] qui quærunt animam meam, ut auferant eam.	Confundantur, & revereantur *ſimul* qui quærunt animam meam, ut auferant eam.	Confundantur, & revereantur *inimici mei*, qui quærunt animam &c.
Pſal. ad Introit. Fer. III. major. Hebdom.	Deus miſereatur *noſtri*, & benedicat *nobis*, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur *noſtri* (i).	Deus miſereatur *noſtri* & benedicat *nobis*, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur *noſtri*.	Deus miſereatur *nobis*, & benedicat *nos*, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur *nobis*.

[*f*] *Propter* Gloriam. *Conſonat Thomaſij, diſcrepat Editoris Georgij Antiphonarius, qui in Sab. poſt. Dom. I. Quadrageſimæ legit*, propter honorem.

[g] *Hieronymiana lectio* oculi tui *viſitur in Thomaſiano Antiphonario*; *Romana* oculi mei *occurrit in Georgiano, quam ſervat geminum Miſſale, Vallicellanum, ac Card. Sirleti apud eumdem Thomaſium.*

[*h*] *Conveniunt Codices omnes, verbis illis expunctis*, inimici mei, *quæ in Veteri Latina Lectione reprehendit Hieronymus.*

[*i*] *Non eadem de hoc verſiculo Thomaſij lectio. Ait cum Gallicano Pſalterio:* Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis; *mox cum Romano ſubdit: &* miſereatur nobis. *Georgianus Antiphonarius alium ſupponit Pſalmi verſiculum.*

Digitized by Google

	Antiphon. S. Gregorii.	Psalt. Gallic.	Psalt. Rom.
Pſal. ad Introit. Dom. III. poſt Paſcha.	Salvavit *ſibi* (k) dextera ejus, & brachium ſanctum ejus.	Salvavit *ſibi* dextera ejus &c.	Salvavit *eum* dextera ejus, & brachium &c.
Pſal. ad Introit. Dom. VI. poſt Pent.	Ad te, Domine, *clamabo*, Deus meus ne ſileas a me; *ne quando taceas a me*, & *aſſimilabor* deſcendentibus in lacum [l].	Ad te, Domine *clamabo*, Deus meus ne ſileas a me, *nequando taceas a me*, & *aſſimilabor* deſcendentibus in lacum.	Ad te, Domine *clamavi*, Deus meus ne ſileas a me; & *ero ſimilis* deſcendentibus in lacum.
Ad Graduale Domin. VII. poſt Pent.	Et *facies veſtræ* non *confundentur* [m].	Et *facies veſtræ* non *confundentur*.	Et *Vultus veſtri* non *erubeſcent*.
Pſal. ad Introit. Dominic. XIV. poſt Pent.	Quam *dilecta* tabernacula tua, Domine virtutum, *concupiſcit* & *deficit* anima mea in atria Domini [n].	Quam *dilecta* tabernacula tua, Domine virtutum, *concupiſcit*, & *deficit* anima mea in atria Domini.	Quam *amabilia ſunt* tabernacula tua, Domine virtutum: *concupivit* & *defecit* anima &c.

[k] *Salvavit* ſibi *legit Antiphonarius Angelicæ Bibliothecæ, Thomaſio referente; Salvavit* eum *pari conſenſione legunt Thomaſius, atque Georgius.*

[l] *Non hanc Gallicani, ſed aliam Romani Pſalterij lectionem refert Thomaſius in ſuo Antiphonario.*

[m] *Quæ Gallicani Pſalterij, eadem apud Thomaſium lectio eſt. Vallicellanum Miſſale Romanam imitatur.*

[n] *Romanam, & Gallicanam Verſionem commiſeet Codex Thomaſij; legit enim: Quam* amabilia *Tabernacula &c:* concupiſcit, & defecit *anima mea in atria Domini.*

VIII.
D. Gregorius ſolo Pſalterio Gallicano aliquando utitur.

Citra omnem verò controverſiam perpetuus Gallicani Pſalterij uſus elucet in commentarijs, quibus Sanctus Gregorius ſeptem Pſalmos Pœnitentiales illuſtravit (l). Nihil in hiſce Pſalmis quod Hieronymianæ Emendationi adamuſſim non conveniat: Nihil quod Romano Pſalterio, non dicam quoad voces & ſenſus, ſed & quoad ipſos apices commune non ſit. Scilicet in Sacris, ac publicis ritibus Vetuſtatem ſervat Gregorius, quod ex illius Antiphonario indubium eſt; at in domeſticis lucubrationibus illi adhæret correctioni, quam putat accuratiorem [m].

IX.
Major poſt Gregorium Hieronymianæ Vulgatæ authoritas.

Hieronymiana Scripturarum Interpretatio, quæ ſub D. Gregorio parem cum Vulgata Vetere nacta eſt authoritatem, poſt D. Gregorij obitum, hoc eſt ſub VII. Seculi initium, decus ac robur longe majus ſibi conciliavit. Teſtatur id S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus [n], hujuſce Seculi Scriptor clariſſimus, illis verbis: *Preſbyter quoque Hieronymus trium linguarum peritus, ex Hebraico in latinum eloquium eaſdem Scripturas convertit, eloquenterque transfundit; Cujus Interpretatio meritò ceteris antefertur; nam eſt verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior.* Quod D. Auguſtinus de Itala ex Græcis fontibus eruta affirmat, idem de Hieronymiana Vulgata ex Hebraicis educta, cenſet Iſidorus. An verò eodem ferè

[l] *Commentarios in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, fætum eſſe Magni Gregorij fatentur omnes, qui Gregoriana Opera Typis vulgarunt. Unus id pernegat Petrus Guſanvillæus, quem tamen latè refellit D. Martianæus in Cenſura, quam S. Gregorij commentarijs præmittit Tom. III. pag.* 463. *Edition. Maurin.*

[m] *Ita lib.* 20. *cap.* 23. *Moralium de Hieronymiana Verſione loquitur S. Doctor:* Quia hæc nova Tranſlatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta veriùs transfudiſſe perhibetur, credendum eſt quidquid in ea dicitur.

[n] *S. Iſidor. Origin. lib. VI. cap.* 5.

ſere paſſu cum Vulgata Hieronymiana hac ipſa ætate proceſſerit Pſalterium Gallicanum, aſſerere non auſim.

X. *VII. Seculo Hiſpania a Veteri Pſalterio non receſſerat.*

Si ab Hiſpaniæ moribus ac diſciplina fas eſt de ceteris nationibus idem ſentire, profecto nondum eò perveniſſe Pſalterium a D. Hieronymo ſecundis emendatum curis affirmare licebit. Ne dum enim in Concilio Toletano IV. an. 633., cui ipſemet D. Iſidorus interfuit, imo & præfuit, nulla novi ritus in Divinis Officiis, aut inſuetæ Pſalmodiæ incidit mentio, quin potius vetus pſallendi conſuetudo confirmatur, ac ſervanda præſcribitur. *Unus ordo orandi*, verba ſunt Synodi [o], *atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam atque Galliam* [Galliciam legunt alij] *conſervetur; unus modus in Miſſarum ſolemnitatibus, unus in Matutinis Veſpertiniſque Officijs; nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, qui in una fide continemur, & Regno. Hoc enim & antiqui Canones decreverunt, & unaquæque provincia & pſallendi, & miniſtrandi parem conſuetudinem contineat*. Vi Conciliaris hujuſce Decreti, Miſſale, & Breviarium juxta Mozarabicum ritum inſtauratum fuiſſe, conſtans opinio eſt. Nec deſunt qui tanti negocij curam ipſimet D. Iſidoro communibus Patrum ſuffragijs putent demandatam (p). Neque ab hac ſententia recedit Mabillonus (q): Addit tamen in partem ſolicitudinis accitum fuiſſe Leandrum S. Iſidori fratrem, quem *in Eccleſiaſticis Officijs non parvo ſtudio laboraſſe* teſtatur Iſidorus *de Scriptor. Eccleſiaſt.*

XI. *Seculo VIII. novum Pſalterium in Gallias delatum eſt.*

Multos ac præclaros VIII. Seculo fecit progreſſus in Gallia ſub Pippino, & Carolo Magno Regibus, Romanæ Eccleſiæ ritus, ac in Sacris peragendis diſciplina. Pippino inſtante Paulus Papa I. Antiphonale, ac Reſpon-

N ſale

[o] *Conc. Tolet. IV. Cap. I.*

[p] *Garſias Loaiſa apud Labbè in append. ad Concil. Tolet. IV., Baron. ad ann.* 633.

[q] *Diſquiſit. de curſu Gallic. §. 2., cum Marian. lib. 5. de reb. Hiſpan. cap. 5.*

ſale in Gallias tranſmiſit (r); ac Monachos, qui e Galliæ Regno Romam venerant, ut eum pſallendi morem, quo Romana Eccleſia utebatur, addiſcerent, Scholæ Cantorum tradidit inſtruendos [ſ]. Hoc eodem Seculo Hieronymianum Pſalterium accuratiſſimum ad Græcam τῶν LXX. Verſionem exactum, ad Gallos perveniſſe, Mabillonus, ac Martene conſentiunt (t). Verum, quia res hæc, ſaltem quo ad definitum temporis ſpatium, nondum ſatis videtur expedita, idcirco paulo accuratiùs examinanda.

XII. *Variæ de ſtato tranſmiſſi Pſalterij tempore ſententia.* De re, hoc eſt de Pſalterio aliquando tranſmiſſo, nulla controverſia; ſola de ſtato tranſmiſſionis tempore movetur lis. Vvalafridus Strabo, cujus verba ſupra retulimus, a Gregorio Turonenſi in Gallias delatum ait: Berno Augienſis, & hunc ſequutus Sigebertus, a D. Hieronymo, vel Damaſo Pontifice Gallis dono datum volunt: Contra, Mabillonus rem totam ad octavum in quo verſamur Seculum, ad ipſam nimirum S. Bonifacij Moguntini Epiſcopi ætatem revocat. Floruit S. Bonifacius an. 723., obijt verò an. 754. Potiſſima quæ Mabillonum impulit ratio, ut Gregorij Turonenſis ævo poſteriora Gallis ſtatuat initia Pſalterij, quod deinde a publico ac ſolemni in Sacris ritibus uſu, Gallicanum fuit appellatum, hæc eſt; Gregorium Turonenſem non huic, ſed Veteri Pſalterio conformes Pſalmorum verſiculos in ſuis proferre lucubrationibus; aliam profecto ſequuturus Verſio-

---

[r] *Pauli ad Pippinum verba in Epiſtola XXV. Codicis Carolini, ſunt hæc*: Direximus Excellentiſſimæ Præcellentiæ veſtræ & libros quantos reperire potuimus, ideſt Antiphonale, & Reſponſale.

[ſ] *Extat Epiſtola Pauli I. ordine IX. ad Pippin. apud Labbè Tom. VIII. Concilior. pag:* 442. *Venet. Edition.*

[t] *Mabillon. de Curſ. Gallican. §.* 2. *pag.* 395. *& ſeqq., Marten. tract. de antiq. Eccleſ. diſciplin. Capit. III. num.* 3.

Digitized by Google

Verſionem , ſi ea apud Gallos jam obtinuiſſet . Id gemino probat exemplo, atque a pluribus abſtinet in re cuique S. Gregorij opera legenti, notiſſima.

XIII. *Mabillonij opinio ſuis non caret incommodis.*

Validum ſane argumentum , ſed vereor , ne hoc ipſum quod in alios urget incommodum , in Mabillonium eumdem facilè retorqueatur . Sicut enim S. Gregorius , ita & S. Bonifacius , in multis quas ſcripſit Epiſtolis Veterem Pſalmorum Verſionem ſervat , quæ Gallicano Pſalterio haud facilè accomodatur . Paucas ex ubere meſſe colligimus ſpicas: *Tamquam flos agri , ita florìet* (u): *In lege Domini fuit voluntas ejus* [x] : *Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit* [y] : *Quia concupivit Rex ſpeciem tuam* [z]: *Domine , ne in ira tua arguas me , neque in furore tuo corripias me* (a a) ; ut alia multa omittamus . Hac Verſione utitur S. Bonifacius quum Pſalmorum loca producit .. Utri Pſalterio ea magis conſonet , Veterine , an Gallicano , ille decernat qui Vetuſta Pſalteria conſuluit . Equidem non infrequens eſt in Pſalterio Romano abuſus verborum *exiet* , & *periet* pro *exibit* , *peribit* ; nec diſſimulat D. Auguſtinus hanc lectionem , quam a ſe mox emendatam ait [b b] : *Super ipſum floriet Sanctificatio mea* [c c].

XIV. *Alcuini ætate Pſalt. Gallic.*

Unde nam igitur certa Gallicani Pſalterij epocha repetenda ? In re obſcura aliquid manifeſtum intermi- cat;

[u] *Epiſt. I. ad Nidhardum.*
[x] *Epiſt. II. ad Buggam Abbatiſs.*
[y] *Epiſt.* 21. *ad Eadburgam Abbatiſs.*
[z] *Cit. Epiſt. ad Buggam.*
[a a] *Epiſt.* 21. *ad Eadburg. Abbatiſ. Extant Epiſt. S. Bonifacij Tom. XIII. Biblioth. Patrum Edition. Lugdunenſ. an.* 1667.
[b b] *Lib. de Doct. Chriſtian. Cap. XIII.*
[c c] Tranſiet *pro* tranſibit *verbum veteribus Latinorum Poetis non ignotum* : *Hinc illud Tibulli* : At ſi tardus eris , *tranſiet* ætas .

obtinuiſſe ratum eſt. Cetera incerta. cat; aliquid latet. Statum Gallicani Pſalterij initium figere, nulli fortaſſe datur; at certos præſcribere limites, ultra quos Pſalterij exordia protrahenda non ſint, cuique conceditur. Quo octavi Seculi anno novum Pſalterium in Gallijs primùm incœperit, ignoramus; at Seculo octavo aliquando incœpiſſe, hoc certò novimus. Octavo labente Seculo floruiſſe in Gallijs Albinum, ſive Alcuinum Caroli Magni Præceptorem, norunt omnes: Alcuinum hunc de re Liturgica, ac Scripturarum integritate optime meritum exhibent Hiſtoriæ. Emendavit enim Divinas utriuſque Inſtrumenti paginas: Reſponſoria atque Antiphonas; Pſalmorum item ſeriem certo quodam ordine ac methodo per hebdomadis ferias digeſſit, ut quæ in Sacris peragendis ſervanda erant, nemo negligeret, aut ignoraret: Pſalmis etiam elucidandis incubuit; quæ omnia ex Alcuini Operibus prælo ſubjectis cuique manifeſta ſunt. Sive autem quos ille elucidavit Pſalmos; ſive quos in Divinis celebrandis coordinavit, inſpiciamus, jam non vetus Pſalterium, ſed Hieronymianum, illud nempe quod S. Pater poſtremis curis retractavit, dignoſcimus. Igitur Alcuini ætate Gallicanum Pſalterium invaluerat; nec ultra VIII. Seculum recens hæc Pſalmorum Verſio, veriùs Emendatio, eſt protrahenda; quandoquidem Alcuinus anno 804. vita ceſſit.

XV. *Cur Gallicana Verſio nonnulla ex Rom. Pſalt. habeat admixta.*

Non ignoramus in Alcuini Pſalterio nonnulla commiſceri, quæ Veteri Tranſlationi communia ſunt, imo quæ Hieronymianæ Emendationi, quam in Epiſtola ad Sunniam & Fret. inſtituit, aliquando repugnant (dd). Hoc autem

[dd] *Multa ſuccurrunt Variarum lectionum in Pſalmis Gradualibus ab Alcuino relatis exempla: En aliquot Romano Pſalterio conformia: In Pſalm. CXIX. Heu me*, quia incolatus meus prolongatus eſt: *CXXI.* Propter Domum Domini Dei *mei*: *CXXVI.* Niſi Dominus ædificaverit domum in vanum *laborant* &c. *CXXVII.* Labores *fructuum tuorum* quia manducabis. *CXXIX.* Fiant au-

Digitized by Google

autem ex moribus Gallorum, qui Veteris Pſalmodiæ memores, quum novam addiſcerent aliquid ex antiqua retinuerunt; & Romanorum cum Gallis commercio, tribuendum. Ut Romani cantus in Eccleſiaſticis officijs ritum addiſcerent, Gallorum nonnullos ſub Pippino Rege Romam acceſſiſſe jam vidimus: Rurſus, Carolo Magno adnitente, Romanorum aliqui canendi arte periti in Gallias miſſi ſunt ut alios docerent; quandoquidem, inſtituta Romanos inter ac Gallos ſuper canendi ritu diſputatione, victoriam apud Romanos ſtetiſſe ipſa docuit experientia. Nihil mirum igitur, ſi, quum Romani, ut Gallis exemplo eſſent, Romanum Pſalterium canerent, Galli viciſſim & cantum addiſcerent, & nonnullis quæ Romano Pſalterio peculiaria ſunt, inter canendum aſſueſcerent [ee]. Atque hinc fortè factum ut, Gallicano Pſalterio in alias regiones effuſo, quas Galli imbiberant ex Veteri Verſione voces, aut etiam ſententias alijs communicarent; atque ut, quæ alioquin extranea erant, communi Eccleſiarum uſu probata, perindè ac ſi genuina Pſalterij pars eſſent, ad poſteriora Secula pervenirent, & vel in ipſa recenti Vulgata in unum corpus cum reliquo Pſalmorum textu coaleſcerent.

XVI. *Gallic. Pſalt. uſus Sec. IX.*

Sequenti Seculo Eccleſiæ IX., Gallicanum Pſalterium magnam Occidentis partem occupavit. Patet id ex uſu ac teſtimonio Scriptorum, qui hac ipſa ætate claruere [ff]. Ratbertus Corbejenſis Abbas fuſiori ſtylo explicaturus Pſal. XLIV., non Italam, non aliam Ver-

res tuæ intendentes in *orationem ſervi tui*: *Et in Pſal. CXXXI.* Iuravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur *eum*.

[ee] *Ita cum Bernone Augienſi, cujus verba alibi exſcripſimus ſentit Mabillon. diſquiſit. de curſ. Gallican. §. 2. pag. 395.*

[ff] *Extant horum Scripta Tom. XII. & XIII. Bibl. maxim. Patrum Edition. Lugdunenſis.*

Digitized by Google

Verſionem ſibi propoſuit, præter Gallicanam. Amalarius Metenſis Diaconus, in quatuor libris de Officijs Eccleſiaſticis Pſalmorum loca identidem producit: a Gallicano tamen Pſalterio, vel ſi curioſiùs inquiras, numquam recedit. De Gallicani Pſalterij uſu Germanis familiari teſtem habemus locupletiſſimum Vvalafridum Strabonem, cujus verba a nobis alibi producta hìc repetere ducimus ſupervacaneum. Quis verò de fide Scriptoris, qui non aliunde accepta, ſed quæ ſua ætate in moribus poſita ſunt monumentis conſignat, auſit dubitare?

XVII. *Remigius Monacus integrum Gallic. Pſalter. commentarijs illuſtrat.*

At longè clariſſimum de Gallicani Pſalterij pretio atque uſu hoc eodem Seculo nobis ſuppeditat argumentum Remigius Monachus Antiſſiodorenſis, ſuis in Pſalmos editis Commentarijs. Non partem, ſed integrum Pſalterium explicat, quale in Gallijs, & in pluribus extra Galliam Eccleſijs decantabatur. De Remigij hujus miniſterio atque obitu multa diſputantur. Antiſſiodorenſem Epiſcopum nonnulli putarunt; atque hoc quidem nomine in ipſa Commentariorum fronte, quum primùm Coloniæ excuſi ſunt an. 1536., inſignitur. De ejus item obitu diſſident Authores: Alij an. 880., alij 883., alij demum IX. deſinente Seculo hoc eſt an. circiter 900. ex hac vita migraſſe opinantur. Remigium hunc Benedictinum Monachum Antiſſiodorenſem, doctum quidem Virum, ac in Sacris Scripturis verſatiſſimum exhibet Mabillonus; qui tamen Epiſcopum denegat [gg]. Videtur etiam ad annum 883. ejus mortem referre; ſed repugnat P. Le Long [hh], qui ad IX. Seculi exitum ejus producit obitum. Nulla nobis de alterutra ſententia eligenda ſolicitudo: Quod enim nobis curæ eſt, nempe Remigij in univerſum Pſalterium Gallicanum Commentarios, omnium quos noverimus vetuſtiſſimos, ad IX. Eccleſiæ Seculum eſſe revocandos, res eſt, de qua nulla inter Scriptores incidit controverſia. Quæ-

[gg] *Annal. Benedictinor. Tom. III. pag.* 240.
[hh] *In Bibliot. Sacra V. Remigius.*

Quænam verò haſce inter vices Pſalterij Romani fortuna? Putares vix ulla extra Urbem Romam ſuperfuiſſe veſtigia; verum fallitur quiſquis hæc animo volvit, aut tacitus nobis opponit. Decimo Eccleſiæ Seculo Romani Pſalterij uſum, ne dum in Urbis Eccleſijs, ſed & in florentiſſimo Monachorum Ordine, vel extra ipſam Italiam latè diffuſo, ſacrum ſolemnemque fuiſſe probat paris Vetuſtatis Codex Ms. Chiſianæ Bibliothecæ, quam præſtantiſſimum eruditionis, ac literarum theſaurum jure merito dixeris [tantis ea vel remotiſſimæ antiquitatis monumentis abundat]. Codex hic, cui conſulendo ſatis opportunitatis ac temporis nobis conceſſum eſt; in pergamena majori charactere deſcriptus, num. 373. deſignatur. Ejus vetuſtatem gemina, quæ illi præmittitur, duplici ſolutoque folio exarata, probat cenſura; ejus integritatem, ſi paucula quædam excipias, eaque leviſſima, mira cum Romano Pſalterio concordia, quam nos ſedula collatione deprehendimus, demonſtrat. Duo tamen, re atque ætate diſſimiles in unum veluti corpus alligati ſunt Codices. Qui ordine præit, ætate minor eſt; qui ſequitur, Romanum Pſalterium exhibet. Ille nihil cum Pſalterio commune habet: Hic verò integram Pſalmorum ſeriem varijs Orationibus intermixtam, qua Benedictinus Ordo utebatur, repræſentat. Sed juvat utramque cenſuram audire, atque integram hìc exſcribere. XVIII. *Rom. Pſalt. apud Benedictinos uſus ex Codice Vetuſtiſſimo.*

Prior cenſura, alià longe brevior, imo ex prolixiore alià, ut putamus, expreſſa, ipſimet Pontifici Alexandro VII. tribuitur: Ita fert traditio, cui conſonat omnimoda characteris ſimilitudo. *Pſalterium Benedictinorum Manuſcriptum an. circiter 900., cum additionibus an. 1082., ut in Tabula Paſchali, quæ durat uſque ad an. 1237. In fine diverſa manu eſt Decretum Abbatis Sublacenſ. an. 1215.* XIX. *Gemina Codicis cenſura; alia Alexand. VII.; alia Cardinalis Bona exſcribitur:*

Vid. P. Io: Bona.

Alteram cenſuram, ejuſque Authorem indicat hæc Subſcriptio, ſolidum nempe, illudque accuratiſſimus Cardinalis

dinalis

dinalis Bona, in re Liturgica citra ullam invidiam, atque obtrectationem verſatiſſimi judicium, quod eſt ejuſmodi:

Suſpicor hunc Codicem ex duobus compactum eſſe; nam initio Kalendarij, poſt nomen Monaſterij, ad quod pertinebat, quod deletum eſt, ſignatur numerus 914. Initio autem Pſalterij, poſt idem nomen abraſum, ſignatur numerus 926.

Prima pars uſque ad Pſalterium, continet Kalendarium, Regulas computi Eccleſiaſtici, Catalogum Summorum Pontificum, uſque ad Sylveſtrum II., qui obijt Anno 1003. Tractatum de ſex mundi ætatibus, ubi recenſentur Imperatores uſque ad Heraclium. Tabulam denique ad inveniendum Paſcha ab Anno 1083., uſque ad Ann. 1237. In Kalendario die 6. Auguſti notatur feſtum Transfigurationis; ex quo detegitur error Hiſtoricorum, ejus inſtitutionem Callixto III. adſcribentium.. Eſt enim antiquius, ut conſtat ex hoc libro, & ex nuper edito Tomo V. Spicilegij Veterum Patrum, Martyrologio Metrico Vvandelberti, qui vixit circa Ann. 850.

Altera pars continet Pſalterium Verſionis Italicæ, qua uſa eſt Romana Eccleſia uſque ad Pium V., & nunc permanſit in ſola Baſilica Vaticana. Ex hac omnia deſumpta ſunt, quæ ex Pſalmis & Canticis in Miſſa cantari ſolent. Vetus enim Eccleſia, ut uno ore Deum laudaret, eandem Scripturæ tranſlationem in Miſſa & in Officio ſemper adhibuit; quem ritum ſervat uſque in hodiernam diem Eccleſia Mediolanenſis. Hoc autem Pſalterium privato uſui Monachorum conſcriptum eſt, atque ideo ſingulis Pſalmis brevis oratio, inſtar collectæ ſubjicitur; & poſt omnes Pſalmos, Cantica, & Litanias valde prolixas, adjectæ ſunt aliquot orationes, quibus Monachus per Pſalterij recitationem, petit a Deo veniam, & ſalutem. Sequitur paraphraſis Pſalmi L. Sunt aliæ orationes, & exercitia.

Alcuinus Abbas a Carolo Magno ex Anglia vocatus in Galliam, primus mihi fuiſſe videtur, qui Pſalterium pro Monachis hac methodo ordinavit; ſed cum opera Alcuini Pari-

Digitized by Google

Pariſiis edita an. 1617. *non habeam, obſervare non potui, an hoc ſit ipſum Alcuini Pſalterium* [ii].

Primam partem ſcriptam arbitror circa an. 1082; *nam Tabula Paſchalis incipit anno ſequenti: Pſalterium ſeorſim conſideratum integro Seculo antiquius crederem poſt an.* 900.

In fine Codicis extat diverſo charactere Decretum quoddam Abbatis Sublacenſis factum an. 1215. Hactenus doctiſſimus Bona.

XX. *Seculo XI. Pſalterij Romani uſum apud Benedictinos, probat S. Brunonis Commentarius.*

Seculo Eccleſiæ XI. Romanum Pſalterium vel in ipſis Italiæ Eccleſijs ſenſim ſine ſenſu in deſuetudinem abire cœpiſſe fatentur Cardinales duo, ſcientia ac pietate conſpicui, Bona (kk), de quo ſupra, & Thomaſius [ll]. Etſi verò concedamus uſum imminutum; omnino tamen abrogatum denegamus. Nondum a primæva pſallendi conſuetudine Benedictinos Monachos receſſiſſe, S. Brunonis Caſſinenſis Monachi, dein Signienſis Epiſcopi ſcripta teſtantur (mm). Edidit ille Seculo XI., quo floruit, Commentarios in Pſalterium Romanum, atque Opus aggreſſus eſt, quod nemo pridem tentaverat, nemo poſt illum perfecit. Inutilis ſane labor, ſi jam ejuſmodi Pſalmodia nulli fuiſſet uſui. Qua occaſione & conſilio huic operi manum admoverit, ex Præfatione

O cogno-

[ii] *Ex Alcuini operibus patet ipſum Gallicano adhæſiſſe Pſalterio. Hæc igitur Pſalmorum coordinatio, alteri, qui Veterem Pſalmodiam Benedictinorum moribus accommodavit, tribuenda. Nec extra Ordinem ipſum quærendus fortaſſe Author; multi enim inter Benedictinos occurrunt præſtantes Viri, qui ſub hæc tempora in utroque Pſalterio, Romano, ac Gallicano illuſtrando claruere.*

[kk] *Bon. Rer. lit. lib. II. cap. III. num.* 4.

[ll] *Thomaſ. Præfat. in dup. Pſalt.*

[mm] *Obijt Signienſis Bruno an.* 1123. *Brunonis Signienſis Opera primùm prodiere Venetijs an.* 1651., *ſtudio & labore. D. Mauri Marcheſij Caſſinenſis Decani. Leguntur item inſerta Tom. XX. Biblioth. Patrum Edition. Lugdun.*

cognoſcimus. Inquit verò: *Quum adhuc adoleſcentulus eſſem, expoſui Pſalterium ſecundùm aliam Tranſlationem, quæ videlicet tranſlatis pluribus in locis, tantùm differt ab hac Tranſlatione, qua Romana Eccleſia utitur, ut nullo modo ſecundùm illius expoſitionem hæc Tranſlatio intelligi poſſit. Et illa quidem multos habet Expoſitores* (*nn*); *hanc autem ſi aliquis expoſuerit, neſcio. Rogatus igitur ab amicis meis, & præcipue a Peregrino Ven. Abbate, dedi operam, ut hæc quoque, ſicut & illa, propriam haberet expoſitionem.* Tot amicorum hortamenta; Tanta Abbatis ſolicitudo de Pſalterio Romano illuſtrando, ejus uſum commendat; Quod enim in deſuetudinem abijt, obſcurum jacere permittitur.

XXI. *Multa Commentarij laus.* Hunc S. Brunonis Codicem plurimi fecit Clariſſimus Lucas Holſtenius Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, qui, quum gemina ejuſmodi Commentarij, antequam Typis committeretur, in Archivio Baſilicæ S. Petri offendiſſet Exemplaria, quæ etiam hodie ſuperſunt, eorum uni hanc præfigit cenſuram: *Non dubitandum eſſe hanc expoſitionem S. Brunonis Signini, cujus etiam nomine nuper edita eſt Venetijs. In collatione Pſalmorum noſtræ Baſilicæ hoc inſigni Codice uſus ſum; nec alium intelligo, quoties S. Brunonis Pſalterium cito.*

L. Holſt. Canonicus.

XXII. *Multo item in pretio penes Benedictinos Pſalterium Gallican.* Non omittendum, Brunone Signienſi nedum ſuperſtite, ſed conſulente, imo & mandante, novos quoſdam in Gallicanum Pſalterium Commentarios fuiſſe adornatos. Procuſum eſt Opus ſtudio ac ingenio Oddonis Aſtenſis

[oo] *Inter inſignes Gallicani Pſalterij Expoſitores non ultimum occupat locum Bruno Herbipolenſis Epiſcopus, cujus Commentarios recenſuit, reſtituit, ac Typis excudi curavit Cochleus an.* 1531. *Obijt Bruno Herbipolenſis an.* 1045. *Potuit ergo Signienſis Bruno ætate poſterior, ne dum Remigium Antiſſiodorenſem, ſed etiam Brunonem iſtum reſpexiſſe, quum multos nominat Pſalterij Expoſitores.*

Digitized by Google

ſis Monachi Benedictini (oo), qui lucubrationem, quam ſuadente Signienſi Epiſcopo aggreſſus fuerat, eidem Epiſcopo nuncupavit: Novum Gallicanæ Verſionis, quæ jam in Eccleſiis ferè univerſis audiebatur, argumentum.

Brunoni coævus vixit S. Gregorius VII., a quo S. Bruno Signienſis Epiſcopus renunciatus eſt, anno nimirum 1079. Sub idem ferè tempus, hoc eſt anno circiter 1080, Mozarabico ritu dimiſſo, magna Hiſpaniarum pars Romanum ſibi adoptavit. Patet id ex epiſtola Gregorii Pontificis ad Alphonſum Caſtellæ Regem [pp], qua gratulatur de peculiari illo in Sacris celebrandis ritu abrogato, ac Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Mater eſt, moribus, ac diſciplina tandem reſtitutis. Atque en alium, nec mediocrem, in Hiſpaniarum ditione Pſalterij Gallicani progreſſum; vetere illo, cui tamdiu illa adhæſerat, commutato. Cum nova igitur diſciplina, novum ac Commune Pſalterium in Caſtellæ Regnum fuit introductum. Ita res ipſa poſtulabat: Ita ceterarum conſuetudo Eccleſiarum ſuadebat: Ita Conſtantia Alphonſi Regis Uxor expetebat, quæ, ut mos ille, qui in Gallia ubi ea ortum duxerat, jamdiu invaluerat, ad Hiſpanos tranſiret, totis contendit viribus (qq). XXIII. *Gallicanum Pſalterium ſibi adoptat Hiſpania.*

Ergo in dies invaleſcente, jamque per totum fere Occidentem diffuſo Gallicano Pſalterio, Romanum paulatim evanuit, atque in ſolas Urbis Eccleſias, veluti in ſecuritatis arcem, ſeſe recepit. Eaſdem interim, aut quam ſimillimas vices ſubierat Vulgata Vetus, Hieronymiana latè protenſa. Neque enim putandum eſt hanc Verſionem origine, ac vetuſtate uſque adeo commendatam, cujus ope filiis ſuis Religionis ac fidei dogmata Mater Eccleſia tamdiu XXIV. *Seculo XII. Gallican. Pſalterium in Occidente Vulgatiſſimum.*

[oo] *Oddonis Commentarius in Pſalmos, alicubi mutilus, refertur ad calcem Tomi Secundi Operum S. Brunonis Venet. Edition.*

[pp] *Num. XII. olim II. lib. 6.*

[qq] *Card. Bon. lib. 1. rer. Liturgicar. Cap. XI. num. 2.*

diu propinaverat, illico aut Vulcano traditam fuiſſe, aut in Oceanum demerſam, ut Serarii verbis utamur [rr]. Quæ in hominum mores tranſiere, paulatim evellenda: ſubita ac præcipiti quadam vi, motus cientur potiùs, quam componantur. Seculo Eccleſiæ XII., quo tempore vixit ſcripſitque Hugo Victorinus, Hieronymianam Verſionem noverant omnes, omneſque venerabantur. Ejus uſus nedum præcipuus erat, ſed ſingularis. Hanc populorum conſenſionem a peculiari quodam Eccleſiæ Decreto repetit Hugo hiſce verbis [ſſ]: *Eccleſia Chriſti, per univerſam latinitatem, Verſionem hanc* [de Hieronymiana loquitur] *ſolam legendam, & in authoritate habendam conſtituit*; ſed revera ejuſmodi Conſtitutionem nec ipſe producit, nec ullus hactenus eſt aſſequutus. Quod ergo peculiari cuidam Legi ille tribuit, Eccleſiarum moribus ac conſuetudini, quæ vim Legis non ſemel ſibi vindicat, tribuendum. Vix evulgatam Hieronymi Verſionem probavere docti; nec rudes auſi ſunt improbare. Succeſſu temporis, quantum commodi ex ejus uſu proveniret, innotuit; Hinc ab una ad aliam Urbem, ab una ad aliam Nationem, de ejus prærogativa ac utilitate fama perlata, privatim primùm, mox publicè perlecta eſt; atque, Romanæ Eccleſiæ potiſſimùm accedente conſenſione, Doctores, Patres, Concilia ea uſi ſunt, ſive Scripturas explicarent, ſivè dicta ac ſententias, Divinorum oraculorum authoritate firmarent.

XXV. *Romani uſus vetatur.*

Eò res proceſſerat XIII. Eccleſiæ Seculo, ut liberum jam non eſſet veterem Vulgatam, quæ tamen non ſine honore ad ſepulchrum delata fuerat, in mores uſumque revocare. Exemplo ſit Romanum Pſalterium, quod inter veteris Scripturæ libros omnium poſtremum abiit in deſuetudinem, quia Divinorum Officiorum celebrationi addictum. Ne Romano Pſalterio uterentur in Canonicarum

[rr] *Prolegom. Bibliac. cap. 9. quæſtiunc. IX.*
[ſſ] *Apud Serar. loc. cit. quæſt. X. num. 3.*

Digitized by Google

nicarum Horarum recitatione, indicta lege ſuis præcepit Alumnis S. Franciſcus, Ordinis cùm numero, tùm ſcientia ac pietate conſpicui, Parens, & Inſtitutor; atque inter cetera Regulæ Fratrum Minorum capita, illud propoſuit obſervandum: *Clerici faciant Divinum Officium ſecundùm ordinem S. Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria* [tt]. Pari methodo Alexander Papa IV. in Bulla ad Præpoſitum Generalem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini (uu), Divinorum Officiorum ritum præſcribit Romanæ Eccleſiæ conformem, excepto Pſalterio. *Veſtræ*, inquit, *precibus devotionis inducti, ut obſervantia moderni Divini Officii, quod in Breviariis veſtris exacta diligentia correctum a vobis ex ſtatuto Ordinis veſtri, juxta Romanæ Eccleſiæ morem, excepto Pſalterio, celebrare debetis, ſitis contenti perpetuò*. Bullam edidit Alexander an. 1255.

XXVI. *Veteris Pſalterij uſus Seculo XIV.*

Non eſt igitur, cur Romani Pſalterij uſum extra Urbis ſepta ultra quæramus ſoliciti; jam enim Seculo XIV. monitos nos facit Rodulphus Tungrenſis, Pſalmodiam veterem extra Romanam, & Ambroſianam Eccleſiam, in quibus tamen eadem omnino non eſt, nuſquam occurrere. Hac in re diſſimilem Eccleſiarum conſuetudinem ſua ætate introductam, ita deſcribit [xx]: *Notandum, quod Ambroſiani utuntur ſpeciali Tranſlatione; Romani autem habent Tranſlationem B. Hieronymi, quæ Romana appellatur, ex qua Officium Eccleſiæ eſt ſumptum. Aliæ Nationes utuntur Tranſlatione Hieronymi, quæ dicitur Gallicana, quam nos habemus. Et hanc apud paucos bene correctam, & diſtinctam*

 inve-

[tt] *Apud VVadding. Roman. Edit. Tom. 2. pag. 65. ad ann. 1223.*

(uu) *In Bullario Religionis inſerta legitur, ordine VI.*

(xx) *Lib. de Canon. obſervant. propoſit. 8. circa fin. Exſtat in Biblioth. Patrum Tom. 18. Edition. Lugdunenſ.*

invenietis, niſi in antiquis Pſalterijs, & apud Carthuſienſes. Si vetuſtiori ævo ſcripſiſſet hic Author, jam nullus controverſiæ de Romani, & Gallicani Pſalterij Emendatione atque uſu, fuiſſet locus.

XXVII.

Etſi nulla adactæ neceſſitate, Eccleſiæ Urbis ſub Pio V. a Rom. Pſalterij uſu recedunt.

In tanta rerum viciſſitudine veluti contra torrentis impetum obluctari viſæ ſunt potiores Romanæ Urbis Eccleſiæ, in quibus Sacrum veteris Pſalmodiæ Depoſitum perſtitit immutatum. Verum, quum XVI. Eccleſiæ Seculo nova ceteriſque vehementior, quæ Gallicano favebat Pſalterio, ſeſe obtulerit occaſio, pleræque, imo univerſæ Urbis Eccleſiæ, una S. Petri Baſilica excepta, Romano Pſalterio, cui tamdiu aſſueverant, poſthabito, communem Pſalmodiam tandem amplexæ ſunt. Hæc facti ſeries (yy): Quam Paulus IV. ſibi propoſuerat, ſed morte præreptus perficere non potuit Breviarii Emendationem, eamdem S. Pius V. in Pontificatu Succeſſor, abſolvit; utque una Divinorum Officiorum, ac Davidicæ Pſalmodiæ ratio eſſet ac Verſio, edita Conſtitutione ſancivit [zz]; ideoque privatos quoſdam Eccleſiarum ritus ac mores, etſi privilegio ac lege introductos, e medio tulit. Ne autem, dum Eccleſiarum unitati conſuleret, venerandæ Antiquitatis immemor videretur, iis, qui ante annos bis centum peculiari Breviario utebantur, ut eodem etiam in poſterum uti poſſent, copiam fecit; ſin minus, ut ad communem Eccleſiarum conſuetudinem ſeſe componerent, permiſit. Ceteros verò omnes, qui ſtatum Divinorum Officiorum ordinem inverterent, violati præcepti reos declaravit; perinde ac ſi nullas ex debito preces funderent, qui contra Bullæ præſcriptum ad Horas Canonicas recitandas accederent.

XXVIII.

Sola Vaticana Baſilica Vete-

Nullam ergo de Romano Pſalterio omnium plane antiquiſſimo, aut præcipiendo, aut abrogando legem Pius tulit. Nulla Lateranenſem, & Liberianam Baſilicam

(yy) *Colligitur ex Pianæ Bullæ contextu.*
(zz) *Prodiit Bulla VII. Idus Iulii an. 1568.*

eam manebat neceſſitas, quæ Gallicani, ſive Communis Pſalterij recitationem urgeret. Novos Eccleſiarum ritus Pius expunxit; Ut vetuſtiſſimi, quos ille venerabatur, ſervari poſſent, indulſit. Nihilominus neque ceterarum Eccleſiarum extra Urbem conſuetudo, neque Baſilicarum, quæ Romæ erant præcipuæ, exemplum ac nova deliberatio quidquam valuit, ut Vaticana Baſilica eam, quam ſemel ſibi adoptaverat Pſalmorum inſtitutionem, deſereret. Uni ergo S. Petri Baſilicæ, a Pii V. Decreto, Pſalterium Romanum ſeſe credidit ſervandum; & ſumma quidem fide ac integritate ſervatum eſt. Una, inter innumeras, Principis Apoſtolorum Eccleſia, veterem Pſalmodiam, olim in Italia potiſſimùm celeberrimam, mox neglectam, ac pene dixerim exulem ac profugam, [jam enim nullus ubi tuta conſiſteret reliquus erat locus] nedum hoſpitio recepit, ac Civitate donavit; ſed ut præcipuum quemdam ſplendorem ac decus illi conciliaret, nihil intentatum reliquit.

rem Verſionem ſervat immutatam.

XXIX.
Prima Romani Pſalterij Editio, cura & ſumptibus Baſilicæ Vaticanæ.

Enimvero, ubi primùm Romana Pſalmorum Verſio in peculiarem Vaticanæ Baſilicæ cenſum evaſit, illi typis excudendæ, nimirum ut Exemplaria faciliùs evulgarentur, ſuos Baſilica labores contulit, atque impenſas ſuppeditavit. Prima Pſalterii Editio, curante Mario Alterio ejuſdem Baſilicæ Canonico Theologo, Romæ prodiit an. 1593. typis Vaticanis impreſſa. In hujuſce Editionis tempore deſignando minus accuratè ſcripſit Franciſcus Suareſius [aaa], qui annum nominat 1591. Sed Suareſium aut memoria ſuggerente deceptum, aut in ejus Opere mendum irrepſiſſe, res ipſa docet, atque ex editi Pſalterij fronte palam colligimus. Niſi fortè, in Virum Baſilicæ Vaticanæ olim Vicarium benigniores, dicamus illum Editionis initia potius quam terminum ſibi propoſuiſſe. Potuit enim anno 1591. Editio incipere; anno vero 1593. tandem abſolvi.

Idem

(*aaa*) *Corollar. de Pſalt. Rom. pag. 76.*

XXX. *Editio altera minus caſtigata, quam tertia Holſteniana ſequuta eſt.*

Idem Pſalterium typis Apoſtolicæ Cameræ an. 1619. iterum procuſum eſt. Hæc tamen Editio minus probanda, quia mendis abundat. Genuinæ lectionis reſtituendæ cura Lucæ Holſtenio clariſſimo doctiſſimoque Viro, & Vaticano Canonico demandata eſt. Hic ea, qua pollebat eximia eruditione, rerumque liturgicarum peritia, multis, qui in Archivio S. Petri ſervantur, evolutis Codicibus manuſcriptis; veteribus Patribus, ac Pſalterijs mature collatis, rem in eam perduxit integritatem, qua majorem melioremve haud facile invenias. De hac Holſteniana Emendatione habita eſt Congregatio in Cancellariæ Palatio die 27. Febr. 1651., adſtante Cardinali Barberino Vaticanæ Baſilicæ Archipresbytero, necnon ejus Vicario, & Canonicorum nonnullis ad id accitis; tandemque, poſt longam diſquiſitionem ſancitum eſt, *emendandum eſſe Pſalterium juxta Cod. Mſs. antiquos repertos in Archivio Baſilicæ Vaticanæ, & ſecundum adnotationes factas a D. Luca Holſtenio*, quæ in prædicto Archivio aſſervantur. Tertia igitur inſtituta eſt Editio, quæ anno 1663. ex Officina Jacobi Dragondelli Romæ prodiit omnium accuratiſſima. Hanc Cardinalis Bona iterum atque iterum, datis ad Capitulum literis, commendavit [bbb]: Hanc V. Card. Thomaſius Pſalterij Romani titulo nobilitatam prælo ſubjiciendam curavit an. 1683.

XXXI. *Gemina Vaticani Breviarii Editio deſcribitur.*

Hactenus Pſalterium pluries recuſum eſt. De Breviario ad uſum Cleri Vaticani edendo, ſequenti Seculo deliberatum. Re ad Clementem X. delata, eoque annuente, communi Capituli ſuffragio delectus eſt Franciſcus Nerlius Sedis Apoſtolicæ apud Regem Chriſtianiſſimum Nuncius, olim Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, dein Archipresbyter, qui negocium ſibi creditum conficeret atque expediret. Hic muneri exequendo totus incumbens

(bbb) *Exſtat hæc Cardinalis Bona Epiſtola in Archivio S. Petri.*

cumbens, proprio ære [ccc] nobilem protulit Editionem a Sebaſtiano Mabrecramiſio Regio Typographo Pariſijs excuſam an. 1674. At, quoniam noſtra ætate rariora ſuperioris Editionis ſuperfuere exemplaria; Hinc provida vigilantia ac cura Emi D. Cardinalis Albani Archipreſbyteri, iterata Breviarij Editio in lucem prodiit Urbini impreſſa an. 1740. Nupera hæc Editio quoad molem priore commodior eſt; quo verò ad integritatem longè emendatior. Ingrato ſilentio præterire nolim, poſtremæ Editionis exemplaria ſingula ſingulis e Vaticano Clero, inſigni beneficentia BENEDICTI XIV., hoc eodem, quo ſcribimus anno, fuiſſe diſtributa.

XXXII. *Quænam ad Verſionis Authentiam requirantur.*

Etſi vero tot Seculorum ſpatio, communi Eccleſiarum, Patrum, & Conciliorum uſu, Romani Pſalterij Verſio fuerit commendata, non ideo tamen eò uſque evaſit, ut vel authentica olim habita fuerit, vel hodie habenda ſit. Ad Verſionis authentiam duo requiruntur; alterum, ut cum ſuo Originali conveniat; alterum, ut de tali concordia publicum acceſſerit Eccleſiæ teſtimonium. Quo ferme pacto privatam Scripturam Cauſidici vocant Authenticam, ſi eam cum Authographo convenire publica Notarii fides declaret. Alterutrum demas, Verſioni decedit authoritas; nihil enim prodeſt, ſive Exemplar ab Originali diſſideat, ſive de omnimoda conſenſione publicum non ſuppetat monumentum. Duo igitur componamus, Verſionis integritatem, atque Eccclesiæ authoritatem; jamque Codicis authentia erit indubia. Equidem Eccleſiæ Decretum, Verſionem cum Originali concordem non facit, ſed ſupponit; Verùm, ſicut repugnat, Eccleſiam authenticum definire quod ab Originali diſcrepat; ita abſonum eſt, privatum

[ccc] *Ita affirmat Io: Chriſtophor. Battelli in Epiſt. Nuncupatoria ad eumdem Nerlium, quæ Diſſertationi de Sarcophago marmoreo Probi Anicii &c. præmiſſa legitur.*

vatum hominem, citra Eccleſiæ judicium, publicam authoritatem Sacris Codicibus conciliare.

Inter multas ac varias latinarum Scripturarum Editiones, ſolam Vulgatam authenticam aſſerit Synodus Tridentina [ddd]; ceteras igitur, quæ aut diſſonæ erant, aut corruptæ, præterit atque refellit. De Hebraico, Græcoque textu verba non facit; non enim inter ipſos fontes, ſed inter rivos dumtaxat, hoc eſt latinas inter Verſiones comparationem inſtituit. Quapropter per ſummam injuriam in Synodum Novatores inſurgunt, perinde ac ſi de rivo ſolicita fontes improbaverit (eee). Jam ad rem noſtram.

XXXIII. *Romani Pſalt. Verſio authenticis Scripturis non eſt accenſenda.*

Nullo ex capite, neque in ſe, neque in ſui origine Pſalterium Romanum authenticis ſcripturis accenſendum. Non in ſe: nullum enim Eccleſiæ Decretum proferri poteſt, quod authenticum Pſalterium declaret: non in origine, hoc eſt in Græco Codice ex quo depromptum eſt; quandoquidem quæſtionem de Græcis Scripturis Synodus Tridentina ne attigit quidem. Cavendum igitur ne quis hac in re deficiat; cavendum ne quis excedat. Ille deficit, qui Romanam Pſalmodiam aut irridet, aut proculcat: Ille excedit, qui illam tamquam fidei morumque normam ſibi proponit ſequendam. Digna quidem obſequio eſt, ſed intra certos limites; ne alioquin obſequium degeneret in ſuperſtitionem.

XXXIV. *Quæſtio de privata Pſalterij Rom. recitatione proponitur.*

Huc uſque de publico ac ſolemni Romani Pſalterij uſu multis egimus; aliquid præterea de privata ejuſdem Pſalterij recitatione ſaltem attigiſſe, nec inutile, nec injucundum videri poterit. Illud inquirimus, liceat ne iis, qui Vaticano Clero cooptantur, recentis Vulgatæ

[ddd] *Seſſ. 4. Cap. II.*

[eee] *Conſulantur Bellarm. lib. 2. de Verb. Dei cap. X. Serar. Prolegom. Bibliac. Cap. 19. quæſt. XII. concluſ. 1. ipſeque Alphonſus Salmero, qui Concilio interfuit, Proleg. III.*

gatæ Verſionem ſequi in privata Pſalmorum lectione, quum Canonicarum Horarum oneri implendo vacant. Si rem penitius inſpiciamus, is eſt quæſtionis ſtatus ac ratio, ut cum ceteris, quæ proferri poſſent exemplis nil fortè commune habeat. An Sacerdoti fas ſit ſtatutum a Piana Bulla pro Canonicis Horis ordinem invertere; aut Monacho Religionis, cui nomen dedit, Canones immutare; aut etiam ei, qui Ambroſianæ Eccleſiæ deſervit, alienis ſeſe ritibus conformare, diſputant vulgò Theologi. Hæc autem cum ea, quam agimus, cauſſa, componi nequeunt. Peccat Sacerdos, quia legem Piana Bulla indictam graviter lædit; ipſoque Pontifice Pio V. Judice, muneri ſuo non facit ſatis: Peccat Monachus, quem duplex manet præceptum, Voti nimirum, ac Regulæ, quam Pontificia authoritas ratam habuit: Peccare item fortaſſe dicendus quiſquis Ambroſianæ addictus Eccleſiæ, Pſalterium negligit Ambroſiano ritui conforme; Quandoquidem apertiſſimo S. Caroli Mediolanenſis Archiepiſcopi Edicto cavetur [fff], ne quis ſine gravi piaculo inveteratam Eccleſiæ Pſalmodiam immutare præſumat: modò tamen, aut Synodalibus Conſtitutionibus, aut aliorum, qui ſequuti ſunt Archiepiſcoporum ſanctionibus, Carolina lex fuerit confirmata [ggg].

XXXV. *Enodatur:*

Verùm nil tale in iis occurrit, qui Vaticanæ Baſilicæ ſervitio ſunt mancipati. Nulla, quæ Romanum Pſalterium privatim recitandum præcipit, affertur lex. Silet Hieronymus qui Pſalterium recenſuit: Tacet Pius, qui Breviarium inſtauravit. Nec perpetua ac diuturna conſuetudo, ultra ſolemnem recitationem in Choro implendam extenditur.

Rigi-

[fff] *Promulgatum eſt Edictum VIII. Idus Septembris* 1582.

[ggg] *In Conſtitutione a Cardinali Odeſcalco Mediolanenſ. Archiepiſc. lata V. Idus Ianuarii* 1723. *nulla ejuſmodi confirmationis occurrit mentio.*

Digitized by Google

XXXVI. *Oppoſita nuperi Theologi Sententia refellitur.*

Rigidior ergo nuperi Scriptoris ſententia eſt, quæ nonniſi ex rationabili cauſſa, aut propter actuum infrequentiam, Communis Pſalterij privatum uſum a levi ſaltem culpa videtur excuſare. Prætendit hic Theologus (hhh) deordinationem quamdam, & difformitatem partis cum ſuo toto: At nobis iſthæc difformitas, ac præpoſterus ordo eſt impervius omnino. Alia namque publicæ, alia privatæ recitationis eſt diſciplina in hac quam tractamus materie. Præterquam quod, univerſalis Eccleſiæ moribus ſeſe conformat, qui non quamcumque, ſed probatam, imo & ab Eccleſia indictam Pſalmorum Verſionem uſurpat. En igitur, verſis vicibus, partis cum toto miram planè conſenſionem. Quapropter, ſecluſo contemptu, nullam incurrit culpam, qui nulla, quam violet, obſtringitur lege. Plura non addimus, ne aut nimiùm extra chorum luſiſſe, aut prolixiorem alieno panno laciniam attexuiſſe videamur.

[hhh] *Hieronymus Andreucci S. I. in Tractatu de Vicarijs Baſilicarum Urbis §. III. num.* 19. *pag.*92. *& ſeq.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google